IN HOC LIBELLO CONTENTA. CONCORDATA INTER LEONEM 10. PONT. MAXIMUM ET FRANCISCUM 1...

Stato pontificio : Consiglio dei ministri, François 1.>, ...

Digitized by Google

H

Digitized by Google

Dotto uomo

Conservare
questo foglio

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
14 H
22

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13.4.A.59

22.3.30

24
D
36

Concordata inter LEONEM X. PONT. MAXIMVM ET Franciſcum I. Francorũ Regem Chriſtianiſsimum ſuper Sacerdotiorum Gallicorum negocio.

Textus Pragmaticæ ſanctionis, opera M. Coſmæ Guymier emendatus, & marginalibus ſcholiis illuſtratus.

Regulæ, ordinationes & conſtitutiones Cancellariæ Romanæ Curiæ communes & generales.

Sacroſancti œcumenici Concilij Tridentini Seſsionis Primæ, Secundæ, Tertiæ, Quartæ, Quintæ & Sextæ Decreta.

Omnia recens diligenter & accuratè emendata.

Coll. Rom Cum indice Alphabetico Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS

Apud Galeotum à Prato ad primam columnam Regiæ Baſilicæ. 1551.

13

Cum Priuilegio.

14.H
22

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

D.
3.29.

IL eſt permis a Galiot du Pré, libraire iuré de Luniuerſité de Paris, faire imprimer & vendre le preſent volume. Et defendu a tous Imprimeurs, & autres qu'il appartiendra, de l'imprimer, faire imprimer, ne vendre, ſ'il n'eſt imprimé pour ledict du Pré, iuſques a quatre ans apres enſuyuans: Sur peine de confiſcation des liures qu'ilz auroient imprimez & vendus, & d'amende arbitraire: Ainſi qu'il appert par le priuilege donné audict du Pré le trentieſme & dernier iour de Nouembre, lan Mil cinq cens cinquante.

Signé Des Eſſars.

INDEX ALPHABEticus in volumen ſequens.

A

ABolitio gratiarum expectatiuarum folio.54.b & 55.a
Abolitio reſeruationum papalium 52.b
Abſolutionis clauſula non ſuffragetur falſificatoribus & impedientibus nuncios apoſtolicos 111.a
Abuſus reformandus 75.a
Aduentus Chriſti myſterium. 137.a
Annatarium conſideratio 70.a
Appellandum non eſſe ad ſuperiorem iudicem omiſſo medio 15.b
Appellans non licet ab interlocutoria, niſi in certis caſibus 64.b
Appellandum non eſſe ante diffinitiuam ſententiam. 101.a
Appellatio ad immediatum ſuperiorē gradatim 64.b
Appellatio ſecūda ab interlocutoria reprobata 68 a
Appellationes aliquando ad prorogationem litium. 64.b
Appellationes quæ ad Parlamētum Franciæ, aut Delphinatus debent remitti 67.b
Aſsignatio Baſileæ facta in concilio Senenſi 45.a
Aſsignatio concilij primo Papiæ facta 45.a

Auaritia,radix malorum 42.a
Auctoritas Baſilienſis decreti 45.b

B

BAptiſmus 148.b
Baſilienſis conſilij tempus. 59.a
Baſilienſis ſynodi acceptatio ab eccleſia Gallicana. 46.b
Baſilienſis ſynodi acceptatio ſub certis modificationibus 43.b
Baſilienſis ſynodi cauſæ 45.b. auctoritas ibidem
Baſilienſis ſynodi ſtabilitas 46.b
Beneficium indultum non tollendum 60.a
Beneficium per obitum impetratum 95.a
Beneficia ciuitatum aut villarum muratarum, quibus ſint conferenda 13.b
Beneficia indignis aliquando conferuntur 42.a
Beneficia per contractum matrimonij vacantia. 108.b
Beneficia regularia dignis religioſis conferri debent. 59.a
Beneficia ſecularia ſecularibus, regularia regularibus conferenda 13.b
Beneficia turnum facientia 60.b
Beneficia vt conferantur literatis & graduatis 10.b
Beneficiorum iam obtentorũ valorem exprimant nominati 13.a
Beneficiorum qualitates in impetratione exprimendæ 108.b
Beneficiorum vacantium & vacaturorum conſideratio

tio 107.a
in Beneficiis reſignatis publicatio facienda 100.b
Bulla legationis 85.a.& dein.

C

Canonicatus & præbendæ quoto anno obtineri poſſunt 94.b
Canonicorum illicitè contrahentium pœna 77.a
Cantilenæ ſeculares non cantandæ in eccleſia 76.b
Capitulandum non eſſe tempore maioris miſſæ. 77.a
Capitula quibus nihil derogatum eſt per Concordata 3.a
Cardinalium in diuerſis regionibus creandorum cauſa 69.a
Cardinalium numerus & qualitas ibid.
Cardinalium exemptio 112.a
Cardinales eſſe qui debent 69.b.qui non ibidem.
Caſus in quibus Papa poteſt diſponere de beneficiis. 62.b
Caſus in quib[9] appellari poteſt ab interlocutoria. 66.b
Cauſſarum & appellationum conſideratio 15.b
Cenſuræ & eiuſcemodi reprobatæ 71.a
Clauſula, ſi eſt ita 109.a
Clauſulæ ponendæ in reſignatione beneficij 102.a
Clementinæ, literis, ſubleuatio 20.a.& 81.b
Clerici inhabiles ad vomitum redeuntes 79.a
Collationum conſideratio 10.a.& 11.a.& 53.a
Collatio æqua eſto 60.a

Collatio facta contra diſpoſitionem ſynodi, nulla. 56.a
Collatio ſeu preſentatio contra debitam qualificationem, nulla 58.b
Collatoris ſeu patroni cura 61.a
Commendarum conſideratio 102.b
Concilium ad abuſus eccleſiæ tollendos 53.a
Concilij generalis authoritas à Chriſto immediatè. 53.b
Concordatum conditionale voluit eſſe Leo pontifex. 26.a
Concordatum ſingulis annis legi debet. folio 21.b
Concordati approbatio, publicatio & regiſtratio, vt & vbi facienda. 21.a
Concordati tenor. 3.b
Concordatorum ſtabilitas 20.b
Concubinarij publici. 17.a
Concubinariorum conſideratio 78.a
Concubinariorum contumacium pœna aggrauata. 78.b
Concubinariorum filij apud patres ne cohabitent. 18.b
Concurſu plurium nominatorum exiſtente quid faciendum. 12.b
Confirmatio ſacra 150.b
Confirmatio pro confirmatione nihil accipit. folio 51.b

Confirmatoris

Confirmatoris indigni pœna 50.b
Confirmatores monentur 50.b
Conſenſus in beneficiis reſignandis præſtandus. 116.a
Conſtitutiones editæ à Ro.pont.pro bono concordiæ locum prag.ſanct.de cætero obtinebunt 4.a
Conuiuiorum in eccleſiis celebrandorum vſus damnabilis 77.b
Curio parochialis eccleſiæ ciuitatis debet eſſe qualificatus. 58.a

D

DEambulatio tumultuoſa prohibita 76.a
Decanatus duo in Alemania non obtinendi. 106.a
Decretum Conſtantienſis concilij 44.a
Decretum primum Baſilienſ. ſynodi 47.a
Decreta aliquot Tridentini concilij. 123.& dein.
Decretorum ſanctorum fructus 41.b
Diæta Bituricenſis 40.b
Dictiones numerales in literis apoſtolicis extenſe ſcribantur 93.b
Diſpenſationes in gradibus conſanguinitatis 104.a
Diſtributiones inæquales iuxta menſuram laborum 75.a
Diuini officij celebrandi ratio 73.b
Doctotibus infligendæ pœnæ 61.b
Domini Franciæ 84.a

Donum gratuitum 71.b
de Duabus parochialibus eccleſiis obtinendis 105.a

E

ECcleſiæ comprehenſæ in Concordatis 9.a
Electi per ſimoniam, excommunicantur 49.a
Electionis conſideratio 7.a
Electionum abrogatio, & ratio noua eccleſiis vacantibus proſpiciendi 7.b
Electio prælati ad quos pertinet 47.b
Electionis prælatorum cura 48.a
Electione caſſata per Papam, electores tenentur denuò eligere 51.b
in Electione prima ſolennitas 48.a. ſecunda & tertia. ibdem, b
Electiua beneficia 57.b
Electores precibus ne eligant 49.b
Electores ſimoniaci priuãdi beneficio electionis. 49.a
in Eligendo requiſita quatuor 49.a
Eligi qui debeant 53.b
Exactiones prohibitæ 73.a
Exceptio iuſti metus 65.a
Exceptio officiorum papæ . ibid.
Excommunicati non vitandi 19.a. 80.b. & dein.
Executoriales literæ ſub bulla dentur 109.b
Exemptorum iura perſequenda in generali concilio. 66.a
Expreſsio veri valoris annui facienda in beneficiis impetrandis 15.a

F

FOrma iuramenti in electione 48.b
Forma mandati apoſtolici 22.a
Pro clericis ſecularibus 23.a pro ſecularibus 25.b
Fornicatio omnibus lege diuina prohibita 18.b
Per fiat ſignatura præfertur illi per conceſſum 98.b
Fraterna charitas in clero & populo 63.b
Friuolè appellantes 68.a
Fructus in abſentia an percipiendi 105.b
Fructus quintæ partis beneficiorum oblatus ab eccleſia Gallicana 71.b
Fructuum quinta pars in qua ſpecie debetur 72.a
Fructus ſanctorum decretorum. 41.b

G

GAlliæ ordines omnes coram Rom.pont.citati in abrog. Prag.ſanct. 6.a
Gallicanæ eccleſiæ conſtitutio 52.a
Graduati actu reſidentes nominandi patrono & collatori 61.a
Graduatorum debitæ qualificationes 57.a
Graduatorum onus 57.b
Graduatorum qualificationes deſignandæ 55.b
Graduatis debentur duæ partes beneficiorum 60.b
Gratiæ expectatiuæ & reſeruationes abolitæ 9.b.54.b 59.b
Gratificatio collatoris inter graduatos vt fieri poſsit. 12.b

H

HAereticorum inanis fiducia 140.a,b
Horæ canonicę qualiter dicédę extra chorũ. 75.a

I

IDonei ſoli ad gradum promouendi 61.b
Impetrantes gratias expectatiuas, pœna digni. 59.b
Impetratio per obitum, vt valeat 98.a.& dein.
Impij iuſtificatio vt fiat 137.b.& dein.
In cauſa permutationis & reſignationis non debetur quinta pars 72.a
Incommoda ex malis adminiſtratoribus rerum eccleſiaſticarum 42.b
Incompatibilia beneficia 104.b
Indulgentiarum conſideratio 106.b
Infirma beneficia ſua reſignantes 94.b.116.a
Inſinuatio literarum gradus qualiter fieri debeat. 12.a
Inſinuatio nominum & cognominum graduatorum quomodo facienda. 12.a
Interdicta non leuiter ponenda. 19.b & 81.a
Ab interlocutoria non licet appellare, exceptis certis caſibus 64.b
Iudex ſuperior omiſſo medio non appellandus 15.b
Iudicis ordinarij officium 68.b
qui Iudices cognoſcant de cauſis 64.a
Iuris patronatus derogatio 102.a
Iuſiurandum regis in ſuſceptione diadematis folio 39.b

qui

qui Iuſtificante per Chriſtum. 137.a
Iuſtificatio. 136.a.& dein.

L

LAici à concubinatu abſtineant 80.a
Lapſi,& eorum reparatio. 142.b
Legationis bulla. 85.a &.dein.
Licentia calumnioſis abolita. 63.b
Lis ſuper beneficio quomodo intelligitur. 68.b
Litis conteſtatio. 67.b
Literæ executoriales mandati apoſtolici. 24.b
Literæ patentes Franciſci 1. quare ipſe concordauit cũ Papa ſuper correctione Pragmaticæ,ſanctionis. folio.1.a
Literarum expediendarum conſideratio. 101.b
Literarum regiarum ac pontificiarũ tenor. folio.28. & dein.
Ludouicus xi.niſus eſt abrogare prag.ſanct. 5.a

M

MAla quæ committuntur in electionib.eccleſiaſticis in Francia 6.b
Mala quæ ſequebantur ex eo quod lites eccleſiaſticæ Romæ,non in regno ventilabantur. 2.a
Male promoti ad ordines 95.b
Mandatarij ordinarij & graduatis præferendi 15.a

Mandatum apoſtolicum non dirigitur ſuper certam ſpecificatam eccleſiam 22.b
Mandatorum apoſtolicorũ conſideratio.14.b.& 62.a
Mandatorum diuinorum obſeruatione, illiúſque neceſsitate & poſsibilitate 141.a
Mendicantes ad alios ordines tranſeuntes 95.b
Menſis primi poſt publicationem declaratio 31.b
Merita bonorum operum 143.b
Miſſæ reuerentia 76.b
Moderamen ob cauſam loci aſsignationis 44.b
Moneta qualis pendenda pro beneficiis 96.a
Mores in eccleſia reformandi 148.a

N

NAtura ad malum prona 40.a
Nobilitatis priuilegium 57.b
Nobilitatis probatio 12.a
Nominati quid exprimere debeant 61.a
Notariorum emolumentum moderatum 50.b
Numerales dictiones in literis apoſtolicis extenſe ſcribantur 93.b

O

OBligati ad quintam fructuum, non extrahentur à diœceſi 72.b
Occaſio mortis captandæ 54.a
Occulti concubinarij 79.b
Officia oratorum Franciæ ad concilium 67.a
Officiales nihil exigent vltra debitum 111.b
Officium diuinum quomodo ſit celebrandum 73.b
Officiorum

Officiorum diuinorum tempore per eccleſiam vagantes 75.b
Officiarij negligentes puniendi 79.a
Officiariorum apoſtolicorum numerus indeterminatus 66.b
Oratores ſummi pontificis Biturigibus 41.a
in Orationibus quis modus tenendus 75.b
Ordinariorum cura in conferendis beneficiis 57.b

P

Pacifici poſſeſſores 16.b.68.a
Papa, exemplar virtutum 55.a
Papa indulſit regi Franciæ conuenta quædam facere loco Prag. ſanctionis 3.a
Papa nõ debet aliquid recipere pro collatione & eiuſcemodi 70.b
Parochiæ & diœceſes vbique diſtinctæ 4.b
Pauli III. regulæ quatuor Cancellariæ 115.b
Peccatum originale 134.a. & dein.
Perſeuerantiæ munus 142.a
Perſonalis conceſsio non tranſit ad ſucceſſores 62.b
Pertinaci pœna aggrauatur 75.b
Pignerari non debet cultus diuinus 76.b
Pœnæ doctoribus infligendæ 61.b
Pœna iudicum negligentium punire publicos concubinarios 17.b
Pœna ordinariorum conferentiũ beneficia debita graduatis, aliis quàm ipſis 14.b
Pœna prælatorum à publicis cõcubinariis munera ac-

cipientum 18.a
Poſſeſſor triennalis non moleſtandus 100.a
Præbendæ theologalis conſideratio 10.a.56.b
Præbendarum pars tertia graduatis affectata 57.a
Prædeſtinatio 142.a
Præuentionis ius in Pontif. Ro. 15.a
Pragmaticæ ſanctionis cauſa 39.b
Pragmatica ſanctio vnde 81.b
Primum menſe regi nominare permittentes literæ apoſtolicæ 32.b
Princeps ne impediat liberam electionem 49.b
Principes ſuperiores regni 40.b
Priuilegia abuſiua reciſa 70.b
Probatio nobilitatis 12.a
Proceſsiones eccleſiaſticæ 74.b
Procurator ad eligendum 48.b
Promoti ad gradus per ſaltum, non promouendi. 14.a
Promouendorum tempus competens 11.b
Promouendus, ad immediatum ſuperiorem tenetur accedere 52.a.b
Prorogatio temporis ad annum ad conſentiendum concordato per prælatos 36.a.b
Prouiſio certorum beneficiorũ reſeruata Papæ. 62.a
Prouiſionarij 15.a
Publici concubinarij. 18.a.78.a.b occulti 79.b

Q

QVatuor menſes ordinariorum 56.a
Quo tempore quiſque debet eſſe in choro. 74.b

R

REgalis præcipua cura 39.b
Regalis ſalutatio 39.a
Regulæ cancellariæ qualiter producendæ 97.a
in Religioſis recipiendis quæ clauſulæ dabuntur. 109.a
Reſeruationum conſideratio 9.b.47.b.52.b
Reſeruatio ad concilium de non creandis canonicis per Papam. 63.a
Reſeruatio ad Papam 55.a
Reſeruationes ad Rom. curiam 64.a
Reſeruatio certarum cauſarum ad ſynodum 65.b
Reſeruationes eccleſiæ Gallicanæ ad futurum concilium 60.a
Reſeruationes generales & ſpeciales 88.b
Reſeruationes prohibitæ 55.b
Reſignationis beneficiorum conſideratio 103.b
Reuocatio decimarum 109.b & dein.
Reuocatio facultatum conceſſarum quibuſcunque. 92.b
Rex Franciæ in regno promittit obſeruare concilia 59.b
Rex Franciæ protector concordati 34.a, b
Rex pro bene meritis poteſt ſupplicare 52.b
Rex ſi nominet, quid iuris 8.b
Romano pontifici ſpectat correctio ſuperiorũ 79.a.

S

SAcramenta eccleſiæ 148.a.& dein.
Scandala ex interdictione 81.a
Simoniæ labes 42.b
Solennitates in electionibus prælatorum 48.a.b
Spectacula in eccleſiis non exhibenda 77.b
Supplicatio eccleſiæ Gallicanæ 73.a
Suſpenſio indulgentiarum 109.b. & dein.
Synodus à Deo habet poteſtatem 46.a

T

TAbula pendens in choro 76.a
Tempus promouendorum competens 11.b
Termini conciliorum 44.a
Theologus in qualibet eccleſia metropolitana conſti-
tuatur 56.b

V

VAcatio quæuis facit turnum, exceptis duobus ca-
ſibus 61.b
Vacatura beneficia vt petenda & conferenda 109.a
Valor beneficiorum in impetrationibus exprimendus
107.a
Verbis non credendum, niſi probentur 81.b
Vicecancellarij poteſtas 112.a.b
Vniones beneficiorum 95.a
Votum mortis captandę 42.b

Finis tabulæ.

Concordata

INTER SANCTISſimum dominum noſtrum papam Leonem decimum, & Chriſtianiſsimũ dominũ noſtrum Regem Frãciſcum huius nominis primum, feliciter incipiunt.

FRANCISCVS DEI gratia Francorũ Rex, Mediolani Dux, Aſtẽſis Comes, ac Genuæ dominus, omnibus literas has lecturis ſalutẽ. Quum non pridem ſuperſtite adhuc Ludouico memoriæ cõmendabilis Rege ſocero noſtro (cuius animæ propitietur altiſsimus) ſacrum Lateranenſe concilium ſæpius editis decretis eundem ſocerum noſtrum ad eiuſdem concilij cõuentum euocaſſet, cum cóque regni noſtri curias ſummas (quas Parlamẽtarias vocam⁹) Eccleſiã inſuper vniuerſam Gallicam, cun-

Literę patẽtes chriſtianiſſimi regis Frãciæ: quare ipſe cõcordauit cum Papa ſup correctione Pragmaticę ſãctionis.

ctáſque regni noſtri gentes, Delphinatíſque noſtri potentatus admonendos cenſuiſſet, vt ſi quid auctoritatis priſce afferre, ſiqua iura citare, ſi rationes conſentaneas palam ediſſerere poſſe confiderent quo minus ſanctio Pragmatica eiuſdem concilij auctoritate ac ſententia antiquaretur, abrogaretur, induceretur, irritáque & nulla pronunciaretur, & ſchiſmatica: id intra diem dictis decretis præſixam efficerent: quo neglecto talis denique (ſacro approbante concilio) decerneretur. Dudum autem ſtatímque nobis diadematico faſtigio diuina benignitate auctis, regnúmq; auſpicato ineuntibus cum rurſus huiuſcemodi edicta alia atq; alia ab eadem auctoritate manantia innotuiſſent: nobis etiam, noſtríſque curiis Eccleſiæ Gallicanæ ac ſubditis populis edicto nouiſſimo ac cauſæ peremptorio ſpes omnis eſſet purgandæ moræ pręciſa, vt ſi vlterius cunctari in animum induxiſſemus, futurum omnino videremus in hæc diſcrimina incidere quæ ante dictę Pragmaticę ſanctionis decretum hoc in regno noſtro, patriáq; Delphinali locum ſibi vendicabant: Ideo nos animo reputantes quanta olim ante illius Pragmaticæ ſanctionis promulgationem indignitas rerum ac deformitas in regno noſtro patriáque

que Delphinali graſſaretur, cum videlicet res nũmarias(quibus veluti neruis reſpublica ſubnixa eſt)ea maximè ac præcipuè ratione exhaurirentur, cum præſulibus & antiſtitibus ſacerdotiorum conferendorũ libertas facultáſque adimeretur, cum peregrini & incolæ ſacerdotiis gallicis ſæpenumero donarentur: cum diplomatibus apoſtolicis(quas expectatiuas nuncupabant) generatim ſigillatímque ſuperſtitum hominum ſpirantiúmq; ſacerdotia electiua mixta collatiua in diem mortis eorum conferrentur, qui eis fungebantur id quod cum bonis moribus non cõuenit, tum vero alieni fati votum habet adiunctum. Poſtremo cum ſacerdotiorum controuerſiæ litéſque ſacræ in curia Romana diſceptarentur ingenti noſtrorum hominum diſpendio & incommodo, ex quo ſequi plerunque neceſſe erat, vt qui vel ſumptibus ſuppeditare, vel labori ſufficere nequirent: hi aut iuri ſuo cedere, aut cauſas deſerere, ac pro derelictis habere cogerentur. Simul ea accedebat deformitas, vt literarum ſtudioſi & diſciplinis liberalibus incumbentes, aut ſacerdotia adipiſci nequirent: aut qui adipiſci cuperent literarum ſtudiũ abiicere aut certè deponere cogerentur, paſsímque per vrbes

Mala quę ſequebantur ex eo ꝙ lites eccleſiaſticę Rom. non in regno ventilabantur.

errabunde vagari: vt id periculum immine-
re videretur ne literarum tandem amor, &
ſcientia per incuriam exoleſcerent. Quum
igitur ſummopere nobis vidẽdum eſſe exi-
ſtimaremus ne huiuſmodi indignitas in re-
gno noſtro exoriretur, id quod alioqui fu-
turum intelligebamus: tempori vtique in-
ſeruiendum eſſe duximus: ac rebus noſtris
periclitantibus pro re nata conſulendum:
imminentiáque detrimenta minore ac le-
uiore diſpendio redimenda. Quare quum
Bononiam cum omni noſtro comitatu ve-
niſſemus exhibendæ gratia reuerentiæ ſan
ctiſsimo patri noſtro Leoni decimo ponti-
fici ſummo, quam ei Francię reges maiores
noſtros, vt primos ac maximos ſacroſanctę
eccleſiæ filios exhibuiſſe nouimus: obnixis
precibus ab eo contendimus, vt ſi Pragma-
ticæ nomen omnino eſſet abrogandum:
ſaltem vice illius, bona ſua conciliíque ve-
nia certas nobis leges conditionéſque me-
ditari comminiſcíque liceret, quibus impe-
rium noſtrum ſupradictum in poſterum v-
teretur quod ad ea quidem pertinet quæ
ſanctione Pragmatica cauebantur. Quibus
noſtris precibus exorata pontificis ſancti-
tas (nam ei quoque cordi erat regni noſtri
eccleſiam recte atque ordine adminiſtrari)

haud ægre nobis indulſit vt conuenta quędã nobis meditari cõmentariq; liceret, Pragmaticæ ſanctionis vicem regno ac potentatui ſupradicto vbique prębitura quę ipſa ei uſdẽ cõcilij auctoritate aſſenſuq; cõfirmarentur: quam homologationem vocãt. Cumq; irritante decreto huius commentationis cura & tunc ſua ſanctitas & nos mandauiſſemus viris quibuſdam conſultiſsimis ita confecta temperatáque ſunt ea cõuenta, vt pleraque Pragmaticæ ſanctionis capita firma nobis poſthac ratáq; futura ſint: qualia ſunt ea quæ de reſeruationib⁹ in vniuerſum aut ſigillatim factis ſtatuunt, de collationibus, de cauſis, de fruſtratoriis appellationibus, de antiquatione conſtitutionis clementinæ quam literis vocant: de libere quietéq; poſſidentibus, de concubinariis: quædámque alia quibus nihil iis conuentis derogatum abrogatúmve fuit, niſi ſi in quibuſdam capitibus nonnulla interpretanda immutandáve cenſuimus: quòd ita referre vtilitatis publicè arbitraremur. Quòd verò ad electiones pertinet, minimè quod optabamus obtinere potuimus cauſis in dictis conuentis latiſsimè inſertis. Ac nihilo ſecius tamen cũ ab eiuſdem pontificis ſanctitate dilationem ſemeſtrem impetraſſemus iis rebus tranſi-

Papa indulſit regi Frãciæ cõuẽta q̃dam facere loco Pragmaticæ ſanctionis.

Capitula quibus nihil derogatum eſt per concordata.

gendis ſuper iiſque viros multos doctrina exiṃia literarúmque peritia præditos vſúque rerũ callentiſsimos cõſuluiſſemus, tandem de eorum ſentẽtia (quoniã ita ferebat ratio, difficultáſque tẽpori, rerúmq; nos circũſtantiũ neceſsitas) ſæpe dicta conuenta in regno noſtro ac delphinio promulgãda cenſuimus, ita vt ſanctionis vicẽ inſtárq; plenũ habeant. Quornm cõuentorum ſeu approbationis cõcilij tenor ſequitur, & eſt talis.

TENOR CONCORDATI.

LEO epiſcopus ſeruus ſeruorum dei, Ad perpetuã rei memoriã ſacro approbante cõcilio, diuina diſponente clementia, per quam reges regnant & principes imperãt, in eminenti apoſtolatus ſpecula & ſuper gẽtes & regna (meritis licet imparibus) cõſtituti: animo reuoluẽtes ꝙ & ſi ea quæ pro ſalubri & quieto regimine regnorũ, & ad pacem & iuſtitiã populorum, perpetua eorundẽ regnorũ ſtabilitate, regibus præſertim de fide catholica & de republica chriſtiana & apoſtolica ſede bene meritis, laudabili & ꝓuida noſtra ordinatione cũ venerabilib⁹ fratribus noſtris ſanctæ Ro. eccleſiæ cardinalibus conceſſa, ac ad effectũ huiuſ-

huiuſmodi geſta,ſtatuta ordinata, decreta facta ve ſunt,plenā roboris firmitatem obtineāt,illis nihilominus interdū(ſacro approbante cōcilio)noſtrę innouationis & approbationis robur adiicimus: vt eo firmius illibata perdurēt,quo ſępius erūt noſtra auctoritate,ac etiā generalis cōcilij præſidio cōmunita. Efficacemq; operā circa eorūdem cōſeruationem libenter adhibemus, vt reges & ipſorū regnorum perſonæ cōceſsionibus,priuilęgiis,ſtatutis & ordinationibus huiuſmodi in domino plenè gaudętes, in pacis& trāquillitatis ac amœnitatis dulcedine conquieſcant, & in eorū ſolita erga eandē ſedē deuotione feruētius perſeuerēt. Nuper ſiquidē vt eccleſia ſpōſa noſtra in ſancta vnione cōſeruaretur &Chriſti fideles ſacris canonibus a Roma. pōtificibus & ſacris generalibus cōciliis dūtaxat editis vterentur, quaſdā cōſtitutiōes,quas de cętero loco pragmaticę ſāctionis & cōtētorū ī ea,in regno Frāciæ pro bono pacis & cōcordiæ,ac illius cōmuni & publica vtilitate, cū chariſsimo in Chriſto filio noſtro Franciſco Frāçorum rege chriſtianiſsimo dum Bononiæ cum noſtra curia eſſemus,tractatas: & cū eiſdē fratribus noſtris diligenter examinatas, & de eorū conſilio cum præfato rege concorda-

Cōſtitutiones editę à Ro. pont. pro bono concordiæ in locum prag. ſāc. de cętero obtinebunt.

tas,& per ipſius regis legitimum procura-
torem acceptatas de eorundem fratrũ con
ſilio & vnanimi conſenſu, ſtatuimus & or-
dinamus prout in noſtris literis deſuper cõ-
fectis plenius continetur: quarum tenor ſe-
quitur & eſt talis.

LEO epiſcopus ſeruus ſer
uorum Dei ad perpetuã
rei memoriam. Primiti-
ua illa Eccleſia in angu-
lari petra à Saluatore
noſtro Ieſu Chriſto fun-
data, Apoſtolorum prçconiis elata, marty-
rúmque ſanguine cõſecrata & aucta: olim
vbi primũ (iuuante domino) per orbem ter-
rarum lacertos mouere cœpit prouide at-
tendens quantum oneris humeris impoſi-
tum haberet, quot oues paſcere, quot cuſto
dire, ad quot etiam remotiſsima loca ocu-
los intendere cogeretur: diuino quodã con
ſilio parochias inſtituit: diœceſes diſtinxit,
epiſcopos creauit, & metropolitanos præ-
fecit: vt tanquam membra capiti obſequen
tia cuncta ſecundum eius voluntatem ſalu
briter in domino gubernarent: & tanquam
riuuli à perenni fonte, Romana videlicet
eccleſia deriuantes, ne angulum quidẽ do-
minici agri nõ irrigatum dimitterent. Vn-

Parochiæ & diœceſes vbiq; diſtinctæ.

de ſicut alij Romani Pontifices prædeceſſores noſtri ſuo tempore omni ſtudio curarunt vt dicta eccleſia vniretur, & in ſancta vnione huiuſmodi ſine ruga & macula conſeruaretur, & omnes vepres ab eadem eccleſia abolerentur: cuius proprium eſt(diuina opulente gratia)virtutes colere,& vitia radicitus extirpare: ita & nos tempore noſtro & præſenti durante concilio ea facere & curare debemus,quæ vnioni & conſeruationi eiuſdem eccleſiæ conducere videntur.Eapropter omnes vepres quę vnioni huiuſmodi obſiſtunt, & ſegetem domini pullulare non ſinunt: tollere prorſus & extirpare,ac virtutes in viam domini inſerere ſatagimus. Sanè inter arcana mentis noſtræ reuoluẽtes quot tractatus inter pię memoriæ Pium ij. Sixtum iiij. Innocentium viij. Alexandrũ vj.& Iulium ij.Romanos pontifices prædeceſſores noſtros, & clarę memoriæ reges Franciæ Chriſtianiſsimos ſup abrogatione certæ conſtitutionis in dicto regno Franciæ vigẽtis,quæ Pragmatica vocatur habiti fuerunt: & licet Pius ij. præfatus nunciis ad claræ memoriæ Ludouicum xj. Franciæ regem Chriſtianiſsimum deſtinatis, tantis eidem perſuaſerit rationibus, vt rex ipſe Pragmaticã ſanctionem huiuſ-

Vepres noxiæ ex agro dominico extirpã-dæ.

Rex Ludouic⁹ xj niſus eſt abrogare Pragma. ſanct.

modi tanquã in ſeditione & ſchiſmatis tem pore natam, ſuis patentibus literis abrogauerit: tamen huiuſmodi abrogatio, & literę apoſtolicę præfati Sixti ſuper cõcordata cũ oratoribus præfati regis Ludouici ad pręfatum Sixtũ prædeceſſorem deſtinatis habita expeditę per prælatos & perſonas eccleſiaſticas dicti regni receptæ nõ fuerũt: nec ipſi pręlati & pſonę eccleſiaſticę illis parere, nec monitis Innocentij & Iulij prædictorũ aures pręberę: ſed eidem Pragmaticæ cõſtitutioni inhærere voluerũt. Vnde pręfatus Iulius prædeceſſor in præſenti concilio Lateraň. vniuerſalem eccleſiã repreſentante, per eũ legitimè indicto abrogationis Pragmaticę ſanctionis huiuſmodi negotiũ, & illius diſcuſsioné venerabiliũ fratrum ſuorũ cardinaliũ (de quorũ numero tunc eramus) & aliorũ pręlatorũ congregationibus, relationemq; diſcuſſorũ ſibi & eidé cõcilio faciendam cõmiſit: Gallicóſq; prælatos, capitula eccleſiarũ, & monaſteriorũ cõuẽtus ac parlamẽta, & laicos illis fauẽtes cuiuſcunq; dignitatis, etiam ſi regalis exiſterẽt, ſanctione prædicta vtentes, ſeu illã approbantes, omnéſque & ſingulos alios ſua cõmuniter vel diuiſim intereſſe putantes per edicto publicum (quũ ad partes illa tutus nõ pateret acceſſus)

ceſſus)in certis eccleſiis tunc expreſsis affigendum moneri, & citari intra certum cõpetentem terminum præfigendum ad comparendum corã eo in concilio præfato cauſas'que dicendum quare ſanctio præfata in concernentibus auctoritatem, dignitatem, & vnitatem eccleſiæ Romanæ, & Apoſtolicæ ſedis, ſacrorúmque canonum & eccleſiaſticæ libertatis violationem, nulla & inualida declarari, decerni & abrogari non deberet. Et quum ſuper his in forma iuris in præfato concilio Lateraneñ. procederetur, dictúſque Iulius prædeceſſor (ſicut Domino placuit) rebus fuiſſet humauis exemptus, nóſque diuina fauente clementia ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpti fuiſſemus, & contra prælatos, capitula, conuentus & perſonas huiuſmodi ad nonnullos actus proceſsiſſemus, tandem conſiderãtes pacem eſſe vinculum charitatis, & ſpiritualem virtutem qua ſaluamur, dicente domino: Qui biberit aquã quàm ego dabo ei bibere, nõ ſitiet in æternũ. Et quòd in pace conſiſtat ſalus vniuerſorum, Caſsiodoro teſtante (omni quippe regno deſiderabilis debet eſſe tranquillitas, in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium cuſtoditur) matura deliberatione cognouimus,

Galliæ ordines oẽs coram Roma. pont. citati in abrogatione prag. ſãc.

non per nuncios, aut legatos noſtros, ſed in præſtatione obedientiæ filialis quàm chariſsimus in Chriſto filius noſter Franciſcus Francorum rex Chriſtianiſsimus perſonaliter nobis præſtitit, hæc cum maieſtate ſua coram diſcutere: eúmque paternis hortari monitis, vt ad laudem Dei, & ſui honorem prõpto animo libens ac volens dictæ Pragmaticæ ſanctioni abrenunciare, & ſecundú leges ſanctæ Romanæ eccleſiæ (quéadmodum cæteri Chriſtiani) viuere, ac mandatis apoſtolicis quæ à ſede apoſtolica pro tépore emanarent, parere & obedire vellet. Et cum ex electionibus quæ in eccleſiis cathedralibus & metropolitanis, ac monaſteriis dicti regni à multis annis citra fiebant grandia animarũ pericula prouenirent cum pleræque per abuſum ſecularis poteſtatis, nõnullę vero præcedentibus illicitis & ſimoniacis pactionibus, aliæ particulari amore, & ſanguinis affectione, & non ſine periurij reatu fierent, cum electores ipſi etiãſi ante electionem per eos faciendam, idoneiorem & non eum quem promiſsione aut datione alicuius rei téporalis, ſeu prece vel precibus per ſe vel alium interpoſitis electioné procurare didiciſſent, eligere ſponte iurarent iuramentum huiuſmodi non ſeruarét:

Mala quę cõmittuntur in electionibus eccleſiaſticis in Francia.

ſed contra proprium huiuſmodi iuramentũ in animæ ſuæ præiudicium venirent: vt nobis notoriè conſtat ex crebris abſolutionibus, & rehabilitationibus à nobis & prædeceſſoribus noſtris petitis & obtentis: Idem Fráciſcus rex noſtris paternis monitis, tanquam verus obedientiæ filius parere volés tam pro bono obedientiæ (in qua magnum meritum verè conſiſtit) quàm pro cõmuni & publica regni ſui vtilitate, in locus dictæ pragmaticæ ſanctionis ad ſingulorum capitulorum in ea cõtentorũ, leges & conſtitutiones infra ſcriptas in vicem tractatas & cum fratribus noſtris ſanctæ Romanę eccleſiæ cardinalibus diligenter examinatas, & de eorum conſilio cum prefato rege cõcordatas: per dilectum filium Rogerium Barme regium aduocatũ oratorem ſuum ad hoc ab eodem Fráciſco rege ad nos deſtinatum, habentem ad hoc ſpeciale & ſufficiens mandatum, acceptauit.

DE ELECTIONE.

De eorvndem fratrum conſilio & vnanimi conſenſu ex certa noſtra ſcientia & poteſtatis plenitudine ſtatuimus & ordinamus ꝙ decætero perpetuis futuris temporibus loco dictę prag-

maticæ ſanctionis,ac omnium & ſingulorum capitulorũ in ea contentorũ,videlicet vt de ccetero cathedralibus & metropolitanis eccleſiis in regno dicto delphinatu, & comitatu Vieñ.ac Valentineñ.nunc & pro tempore etiã per ceſsioné in manibus noſtris & ſucceſſorũ noſtrorum Romanorum pontificum canonice intrantium ſponte factam vacantibus, illarum capitula & canonici ad electioné ſeu poſtulationem inibi futuri prælati procedere nõ poſsint, ſed illarũ occurrente huiuſmodi vacatione rex Franciæ pro tépore exiſtens vnum grauem magiſtrũ, ſeu licentiatum in theologia, aut in vtroq; ſeu altero iurium doctorẽ,aut licentiatũ in vniuerſitate famoſa,& cum rigore examinis, & in 27. ſuæ ætatis anno ad minus cõſtitutũ,& aliàs idoneũ:intra ſex menſes à die vacationis eccleſiarũ earũdé cõputãdo nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis põtificibus, ſeu ſedi prædictę nominare, & de perſona per regẽ huiuſmodi nominata,per nos & ſucceſſores noſtros ſeu ſedem prędictã prouideri: & ſi cõtigerit præfatum regem perſonã taliter non qualificatã ad dictas eccleſias ſic vacãtes nominare: nos & ſucceſſores,ſeu ſedes huiuſmodi de perſona ſic nominata eiſdé eccleſiis minime prouideri

Electionũ abrogatio, & ratio noua eccleſiis vacantib⁹ proſpiciendi.

deri debeat, ſed teneatur idē rex tres alios mēſes à die recuſationis perſonæ nominatæ non qualificatę, ſolicitatori nominationem non qualificatam proſequenti conſiſtorialiter factæ intimandæ, computandos: alium ſupradicto modo qualificatum nominare. Alioquin, vt diſpendioſe eccleſiarum huiuſmodi vacationi celeriter conſulatur, eccleſiæ tunc ſic vacanti per nos & ſucceſſores noſtros, ſeu ſedem huiuſmodi de perſona (vt præfertur) qualificata: necnon per obitum apud ſedem prædictam vacantibus ſemper etiam nulla dicti regis præcedente nominatione libere prouideri poſſit. Decernentes electiones contra præmiſſa attentatas, ac prouiſiones per nos & ſucceſſores noſtros ſeu ſedē huiuſmodi factas, nullas & inualidas exiſtere. Conſanguineis tamen pręfati regis, ac perſonis ſublimibus, ex cauſa rationabili & legitima in nominatione & apoſtolicis literis exprimēda, necnon religioſis mendicantibus reformatis eminentis ſcientiæ & excellentis doctrinæ (qui iuxta ſui ordinis regularia inſtituta ad gradus huiuſmodi aſſumi non poſſunt) ſub prohibitione præmiſſa minime cōprehenſis: ſed de eorum perſonis dictis eccleſiis pro tempore vacantibus ad dicti regis no-

minationē, per nos & ſucceſſoees noſtros, ſeu ſedem huiuſmodi libere prouideri poſſit. Monaſteriis verò & prioratibus cōuentualibus, & verè erectiuis, videlicet in quorū electionibus forma capituli Quia propter. ſeruari, & confirmationes electionum huiuſmodi ſolenniter peti cōſueuerunt in regno, Delphinatu, & comitatu, huiuſmodi nunc & pro tempore etiā per ſimilem ceſſionem vacantibus illorum conuentus ad electionem ſeu poſtulationem abbatis ſeu prioris procedere non poſſint: ſed idem rex illorum occurrente huiuſmodi vacatione, religioſum eiuſdem ordinis in ætate viginti trium annorum ad minus conſtitutū intra ſimile tempus ſex menſium à die vacationis monaſteriorū & prioratuum huiuſmodi computandorum, nobis & ſucceſſoribus noſtris, aut ſedi huiuſmodi nominare, & de perſona per regem huiuſmodi monaſterio vacanti nominata, per nos & ſucceſſores noſtros ſeu ſedem huiuſmodi prouideri. Prioratus verò perſonæ ad illum per eundem regem nominatę conferri debeat.

Quid iuris ſi contingat regem nominare, Si verò idem rex presbyterū ſecularem, aut religioſum alterius ordinis, aut minorē viginti trium annorum, vel alias inhabilem nobis aut ſucceſſoribus noſtris intra dictum

ſemeſtre

ſemeſtre, ſeu ſedi huiuſmodi nominare: talis nominatus recuſari, & nullatenus ſibi prouideri debeat: ſed rex ipſe intra trimeſtre à die recuſationis ſupradicto modo intimandę computandum alium modo ſupradicto qualificatum, monaſterio ſeu prioratui tunc vacanti nominare, & de perſona ad monaſterium nominata illi ꝓuidere: ad prioratū verò nominato prioratus ipſe ꝑ nos & ſucceſſores noſtros ſeu prædictam ſedem conferri debeat: Alioquin dictis nouem menſibus effluxis nulla, ſeu de perſona minus idonea, & modo præmiſſo non qualificata facta nominatione, ac etiam vacantibus apud ſedem prædictam, ſemper etiam nulla dicti regis expectata nominatione, per nos & ſucceſſores noſtros ſeu ſedem prædictam monaſteriis prouideri: prioratus verò perſonis, vt præfertur qualificatis dūtaxat conferri liberè poſſint. Electiones autem & illarum cōfirmationes, necnō prouiſiones, per nos & ſucceſſores noſtros ac ſedem prædictam, contra præmiſſa pro tēpore factas, nullas, irritas, & inanes eſſe decernimus.

Per præmiſſa tamen non intendimus in aliquo præiudicare capitulis eccleſiarum, & conuentibus monaſteriorum, & prioratuum huiuſmodi priuilegia à ſede apoſtolica proprium eligendi prelatum obtinentibus: quo minus ad *Eccleſiæ compre-henſæ in concor-datis.*

electionem epiſcoporum ac abbatum & priorum iuxta priuilegia eis conceſſa liberè procedere poſsint iuxta formam in eorum priuilegiis contentam. Et ſi in eorum priuilegiis forma aliqua expreſſa non fuerit, tunc formã concilij generalis cap. Quia propter, tantum ſeruare teneantur: dũmodo de priuilegiis ſibi conceſsis huiuſmodi per literas apoſtolicas, ſeu alias authenticas ſcripturas docuerint: omni alia ſpecie probationis eis in hoc adempta.

DE RESERVATIONIBVS TAM generalibus quàm ſpecialibus ſublatis.

RVBRICA.

Gratiæ expectatiuæ & reſeruationes abolitæ.

VOLVMVS quoque & ordinamus quòd in regno, Delphinatu & comitatu prædictis, de cætero non dentur aliquę gratię expectatiuę ac ſpeciales vel generales reſeruationes ad vacatura beneficia, per nos & ſedẽ prædictam non fiant: & ſi de facto per importunitatem aut aliàs à nobis & ſucceſſoribus noſtris & ſede prędicta emanauerint, illas irritas & inanes eſſe decernimus. In cathedralibus tamen metropolitanis & collegiatis eccleſiis in quarum ſtatutis caueretur expreſſè, quòd nullus ibidem dignitatem, perſonatum, adminiſtra-

tionem

tionem vel officium obtinere poſsit, niſi in illis actu canonicus exiſtat canonicos, ad effectum duntaxat inibi obtinendi dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium huiuſmodi, & non conſequendi primam præbendam vacaturam creare poſſe intendimus.

DE COLLATIONIBVS.

STATVIMVS inſuper quòd ordinarius collator in vnaquaque cathedrali ac etiam metropolitana eccleſia canonicatum & præbendam theologalem inibi conſiſtentem conferre teneatur vni magiſtro ſeu licentiato aut baccalario formato in theologia, qui per decēnium in vniuerſitate ſtudij generalis priuilegiata ſtuduerit, ac onus reſidentiæ, lecturæ & prædicationis actu ſubire voluerit, quique bis aut ſemel ad minus per ſingulas hebdomadas impedimento ceſſante legitimo legere debeat, & quotiens ipſum in huiuſmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium capituili per ſubtractionem diſtributionum totius hebdomadæ puniri poſsit. Et ſi reſidentiam deſeruerit, de illa alteri prouideri debeat. Et vt liberius ſtudio vacare poſsit, etiam ſi abſens fuerit à diuinis, habeatur pro præſente, ita vt nihil perdat. Præfatique or-

Præbēdæ theologalis conſideratio.

dinarij collatores ſeu patroni eccleſiaſtici, qui-cunque fuerint, vltra dictam præbendam theologalem quam vt præfertur qualificato conferre tenentur, tertiam partem omnium dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum & officiorum, cæterorúmque beneficiorum eccleſiaſticorum ad eorum collationem, prouiſionem, nominationem, præſentationem, ſeu quanuis aliam diſpoſitioné quomodolibet ſpectãtium, viris literatis, graduatis, & per vniuerſitates nominatis hoc modo conferant videlicet,

Beneficia vt conferantur literatis, & graduatis nominatis

In primo menſe poſt præſentium acceptationem, & earundem publicationem, præfati ordinarij collatores dignitates, perſonatus, adminiſtrationes & officia ad eorum collationem, prouiſionem, nominationem, præſentationem, ſeu quanuis aliam diſpoſitioné vt præfertur ſpectãtia, graduatis huiuſmodi qui literas ſuorum graduum cum tempore ſtudij debitè inſinuauerint, conferre teneantur. Beneficia verò quę in duobus ſequentibus menſibus vacare contigerit, illa iuxta iuris communis diſpoſitonem perſonis idoneis liberè conferre, ſeu perſonas idoneas ad illa præſentare.

Beneficia autem quæ in quarto menſe vacare contigerit, viris graduatis per vniuerſitatem nominatis, qui gradus & nominationis literas cum ſtudij tépore debitè inſinuauerint

conferre

conferre ſeu præſentare teneantur. Beneficia vero quæ in quinto & ſexto menſibus vacare contigerit, ſimili modo perſonis idoneis liberè conferre, ſeu perſonas ad illa præſentare poſsint. Beneficia autem quæ ſeptimo menſe vacare contigerit, graduatis qui ſimili modo literas gradus cum tempore ſtudij debitè inſinuauerint, conferre teneantur. Beneficia verò quæ octauo & nono menſibus vacare cõtigerit, pari modo perſonis idoneis conferre, ſeu perſonas idoneas ad illa præſentare teneãtur. Beneficia autem quæ in menſe decimo vacare cõtigerit, graduatis nominatis, qui gradus & nominationis literas cum tempore ſtudij debitè inſinuauerint, per eoſdem ordinarios conferri, ſeu ipſi ad illa præſentari debeãt.

Beneficia autem quæ vndecimo & duodecimo menſibus vacare contigerit, per eoſdem ordinarios perſonis idoneis iuxta iuris cõmunis diſpoſitionem conferri, ſeu ipſi ad illa præſentari debeant. Siquis verò cuiuſcunque ſtatus, etiam ſi cardinalatus, patriarchalis, archiepiſcopalis, aut pontificalis, vel alterius cuiuſlibet dignitatis, contra prædictum ordinem & qualificationes ſuperius ordinatas, de dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus vel officiis, ſeu quibuſuis aliis beneficiis eccleſiaſticis huiuſmodi aliter quàm modo prædicto diſpo-

Collationes beneficiorum ſecus q̃ ſupra ſtatuitur factæ ſunt ipſo iure nullę

ſuerit diſpoſitiones ipſæ ſint ipſo iure nullæ: collationeſque & prouiſiones ac diſpoſitiones illorum ad immediatũ ſuperiorem deuoluantur, qui eiſdem perſonis modo præmiſſo qualificatis prouidere teneatur. Et ſi contrauenerit, ad alium ſuperiorem deuoluatur prouiſio & præſentatio huiuſmodi gradatim, donec ad ſedem apoſtolicam fiat deuolotio. Præterea volumus quòd collatores ordinarij & patroni eccleſiaſtici præfati eiuſmodi dignitates, perſonatus, adminiſtrationes & officia ac beneficia in menſibus graduatis & nominatis aſſignatis vacãtia, illis graduatis ſimplicibus aut nominatis illa conferre, aut ad illa eos duntaxat præſentare teneantur, qui per tempus competens in vniuerſitate famoſa ſtuduerint. Tempus autem competens decennium in magiſtris ſeu licentiatis aut baccalariis in theologia ſtatuimus: ſeptennium verò in doctoribus ſeu licentiatis in iure canonico, ciuili aut medicina: quinquennium autem in magiſtris ſeu licentiatis in artibus cum rigore examinis à logicalibus incluſiue, aut in altiori facultate: ſexennium autem in baccalariis ſimplicibus in theologia: quinquennium verò in baccalariis iuris canonici aut ciuilis. in quibus baccalariis iuris cauonici aut ciuilis, ſi ex vtroque parente nobiles fuerint, triennium eſſe decernimus.

Tẽpus ꝓmouẽdorum quod dicãt cõpetens.

Præfatique

Præſatique graduati & nominati collatoribus ordinariis ſiue patronis eccleſiaſticis ſemel ante vacationẽ beneficij de literis gradus ſeu nominationis, & de præfato tempore ſtudij per literas patentes vniuerſitatis in qua ſtuduerint, manu ſcribæ & ſigillo vniuerſitatis ſignatas fidem facere teneantur.

Inſinuatio literarum gradus qualiter fieri debent.

Cum verò probatio nobilitatis fieri debeat ad effectum, vt nobiles gaudere poſsint beneficio minoris temporis ſtudij, tunc nobilitas ipſa per quatuor teſtes deponentes in iudicio coram iudice ordinario loci in quo eſt natus ille de cuius nobilitate ex vtroque parente conſtare debet, etiam in partis abſentia probari poſsit. Teneantúrque præfati graduati tam ſimplices quàm nominati patronis eccleſiaſticis aut collatoribus ordinariis quibus gradus aut nominationis literas huiuſmodi inſinuare debent, literas ſuorum gradus & nominationis, certificationis temporis, ſtudij & atteſtationis nobilitatis, duplicatas dare, ac ſingulis annis tempore quadrageſimæ per ſe aut procuratorem ſuũ collatoribus, nominatorib⁹, ſeu patronis eccleſiaſticis, aut eorum vicariis eorũ nomina & cognomina ſua inſinuare. & eo anno quo præfatã inſinuationem facere omiſerint, beneficium in vim gradus aut nominationis huiuſmodi petere non

Probatio nobilitatis.

Inſinuatio nominum & cognominũ graduatorum quotannis facienda.

poſsint. Et ſi in menſibus deputatis graduatis ſimplicibus, aut graduatis nominatis, non eſſet graduatus aut nominatus qui diligentias præfatas fecerit, collatio ſeu preſentatio per collatorem ſeu patronũ eccleſiaſticum, etiam eiſdẽ menſibus facta alteri q̃ graduato vel nominato, non propter hoc irrita cenſeatur. Si tamen graduatus ſimplex aut nominatus beneficium poſt inſinuationem gradus aut nominationis in menſibus eis aſsignatis vacãs petierit, & inter ſuam inſinuationẽ & præfatam requiſitionem non ſuperuenerit quadrageſima, in qua nomen & cognomen inſinuare debuerit, ad beneficium ſic vacans eum capacem, ipſumque illud conſequi poſſe & debere decernimus.

Statuimus quoque & ordinamus quòd collatores ordinarij & patroni eccleſiaſtici præfati inter graduatus qui literas gradus cum tempore ſtudij & atteſtatione nobilitatis debitè inſinuauerint: quo ad beneficia in menſibus eis deputatis vacantia gratificari poſsint illi ex eis cui voluerint. Quo verò ad beneficia in menſibus graduatis nominatis deputatis vacantia, antiquiori nominato cõferre, ſeu antiquiorem nominatum qui literas nominationis, temporis ſtudij, & atteſtationis nobilitatis debitè inſinuauerit, præſentare ſeu nominare teneantur. Concurrentibus autem nominatis eiuſdem

Gratificatio collatoris inter graduatos fieri poſsit.

Cõſurſus plurũ nominatorũ

dem anni, doctores licentiatis, licentiatos baccalariis, demptis baccalariis formatis in theologia (quos fauore ſtudij theologici licẽtiatis in iure canonico, ciuili aut medicina præferendos eſſe decernimus) baccalarios iuris canonici aut ciuilis, magiſtris in artibus præferri volumus. Concurrentibus autem pluribus doctoribus in diuerſis facultatibus, doctorem theologũ, doctori in iure, doctorẽ in iure canonico, doctori in iure ciuili: doctorem in iure ciuili, doctori in medicina, præferendos eſſe decernimus. Et idẽ in licentiatis & baccalariis ſeruari debere volumus. Et ſi in eiuſdem facultate & gradu cõcurrerent, ad datam nominationis ſeu gradus recurrẽdum eſſe volumus. Et ſi in omnibus is cõcurrerent, tunc volumus quòd collato ordinarius inter eoſdem concurrentes gratificari poſsit. Volumus autem quòd nominati literas nominationis ab vniuerſitatibus in quibus ſtuduerint obtinentes, in nominationum literis beneficia per eos poſſeſſa, & eorũ verum valorem exprimere teneantur: alioquin literæ nominationis huiuſmodi eo ipſo nullæ ſint, & eſſe cenſeantur. Si quis verò ex dictis qualificatis graduatis, ſimplicibus aut nominatis, tempore vacationis beneficij in menſibus eis deputatis vacantis, duas obtineat præbendas in cathedralibus, etiã metropolitanis aut collegia-

Beneficiorũ iã obtentorum valorẽ exprimãt nominati.

tis, ſeu dignitatem vel præbẽdam vel aliud ſeu alia beneficium ſeu beneficia quorum inſimul, vel cuius fructus, redditus & prouentus tempore reſidentiæ & horis diuinis intereſſendo, ad ſummam ducentorum florenorum auri de camera aſcenderent, beneficium in vim gradus ſeu nominationis huiuſmodi tunc petere ſeu conſequi non poſsit. Et inſuper quòd tam graduati ſimplices quàm nominati beneficia in menſibus eis aſsignatis vacantia, petere & conſequi poſsint ſecundum propriæ perſonæ condecentiã & conformitatem: videlicet ſeculares ſecularia, & religioſi regularia beneficia eccleſiaſtica: ita ꝙ nec ſecularis nominatus beneficia regularia in mẽſibus deputatis vacantia prætextu cuiuſuis diſpẽſationis apoſtolicæ, nec ecõtra religioſus beneficia ſecularia petere aut conſequi poſsint: quódque beneficia ſimpliciter, vel ex cauſa permutationis, in menſibus graduatis ſimplicibus & nominatis aſsignatis vacantia, eis non ſint affecta nec debita, ſed ex cauſſa permutationis cum permutantibus duntaxat: ſimpliciter verò vacantia beneficia, huiuſmodi perſonis idoneis per ipſos ordinarios liberè conferri poſsint.

Beneficia ſecularia ſecularibus, regularia regularibus cõferenda.

Statuimus quoque quòd parochiales eccleſiæ in ciuitatibus aut villis muratis exiſtentes, non niſi perſonis modo præmiſſo qualificatis,

Bñficia ciuitatũ aut villarum muratarũ quib⁹ ſint cõferẽda.

tis, aut ſaltem qui per tres annos in theologia vel altero iurium ſtuduerint, ſeu magiſtris in artibus, qui in aliqua vniuerſitate priuilegiata ſtudentes magiſterij graduum adepti fuerint, conferantur. Monemus autem præfati regni vniuerſitates ſub pœna priuationis omnium & ſingulorum priuilegiorum à nobis & ſede apoſtolica obtentorum: ne collatoribus ſeu patronis eccleſiaſticis habeant aliquos nominare, niſi eos qui ſecundum præfata tempora ſtuduerint, & ſecundum dictarum vniuerſitatum ſtatuta ad gradus, & non per ſaltum, promoti fuerint. Quòd ſi ſecus fecerint, vltra nullitatis pœnã quàm in præfatarum nominationum literis declaramus, à nominandi priuilegio ad tempus ſecundum culpæ qualitatem ſuſpendantur. Siquis autem graduatorum aut nominatorum in menſibus deputatis collatoribus ordinariis aut patronis eccleſiaſticis, beneficium vacans in vim gradus aut nominationis petierit, & collatorem ordinarium in vim præfati gradus aut nominationis in proceſſu poſuerit, & taliter moleſtauerit, illum vltra expenſarum dãnorum & intereſſe condemnationem, fructibus ſui gradus & nominationis priuandum eſſe decernimus. Eodémque vinculo collatores ordinarios & patronos eccleſiaſticos

Promoti ad grad⁹ per ſaltũ, non promouendi.

Pœna ordinariorũ cõferẽtiũ beneficia debita graduatis, aliis quàm ipſis.

quibus graduati & nominati debitè vt ſupra qualificati ſuos gradus & nominationis literas inſinuauerint, aſtringimus, vt beneficia ad eorum collationem vel præſentationem ſpectantia, in menſibus graduatorum ſimplicium & nominatorum vacantia, ſtãtibus præfatis graduatis aut nominatis debitè qualificatis, illa proſequentibus, aliis quàm graduatis aut nominatis non conferant, ſub pœna ſuſpenſionis poteſtatis conferendi beneficia in octo menſibus illo anno ad collationem eorum ac præſentationẽ liberam ſpectantibus.

DE MANDATIS APOSTOLICIS.

STATVIMVS & ordinamus quòd quilibet Romanus pontifex ſemel duntaxat tempore ſui põtificatus literas in forma mãdati iuxta formam inferius annotatã dare poſsit, hoc modo videlicet, vt vnũ collatorem habentẽ collationẽ decem beneficiorũ, in vno: habentẽ autẽ collationẽ quinquaginta beneficiorũ, & vltra, in duobus beneficiis duntaxat grauare poſsit: ita tamen, quòd in eadem eccleſia cathedrali vel collegiata collatorem vnum pro tempore in duabus præbendis non grauet. Et vt obuietur litibus quæ occaſione literarum mandatorum huiuſmodi oriri poſſent, mandata huiuſmodi

modi

modi ſub forma quæ eſt inferius annotata, dari volumus, quàm ad perpetuam rei memoriam in cancellaria apoſtolica publicari, & in illius quinterno regiſtrari mandamus: declarantes, proſequentes huiuſmodi mandata, quo ad beneficia ſub illis comprehenſa, ordinariis collatoribus & graduatis ſimplicibus & nominatis pręferédos eſſe. Nóſque, & ſucceſſores noſtros, iure præuentionis, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes & officia, cæteráq; beneficia eccleſiaſtica ſecularia, & quorumuis ordinum regularia, quæcunque & quomodocunque qualificata, tam in menſibus graduatis ſimplicibus & nominatis q̃ ordinariis collatoribus præfatis aſsignatis vacantia, ac etiam ſub dictis mandatis comprehenſa liberè conferre.

Mãdatarij ordinariis & graduatis pręferendi.

Præuentionis ius in pontif. Rom.

Statuimus inſuper, quòd in prouiſionibus quas perſonis quibuſuis de beneficiis vacantibus, ſeu certo modo vacaturis, per nos & ſucceſſores noſtros ac ſedem prædictam, etiã motu proprio, etiam promotis ad eccleſias cathedrales & metropolitanas ac monaſteria, vt obtenta per eos beneficia retinere poſsint, fieri cótigerit, illorum verus annuus per florenos aut ducatos auri de camera, aut libras turonenſes ſeu alterius monetæ valor ſecundum communem æſtimationem exprimi debeat. Alioquin gratiæ ipſæ ſint ipſo iure nullæ.

Prouiſionarij.

Expreſſio veri valoris annui facienda.

DE CAVSSIS ET APPEL-lationibus.

Statuimus quoq; & ordinamusq; in regno, delphinatu & comitatu prædictis, omnes & ſingulæ cauſſæ, exceptis maioribus in iure expreſſe denominatis, apud illos iudices in partibus qui de iure aut conſuetudine præſcripta vel priuilegio illarum cognitionem habent, terminari & finiri debeant.

Et ne ſub vmbra appellationum (quæ nimium, & nonnunquam friuole, interponi conſueuerunt, atque etiam in eadem inſtantia ad prorogationem litium ſæpe multiplicari) iniuſtis vexationibus materia præbeatur: volumus quòd ſi quis offenſus coram ſuo iudice iuſtitiæ complementum habere non poſsit, ad immediatum ſuperiorem per appellationem recurſum habeat, non ad aliquem ſuperiorem, etiam ad nos & ſucceſſores noſtros, vel ſedem prædictam, omiſſo medio. Nec agrauamine in quacunque inſtantia ante diffinitiuam ſententiam quomodolibet appelletur: niſi forſitan tale grauamen extiterit, quod in diffinitiua reparari nequiret: & eo caſu non niſi ad immediatum

Ad ſuperiorē iudicem omiſſo medio appellandum non eſſe.

mediatum ſuperiorem liceat appellari. Siquis verò immediatè ſubiectus ſedi apoſtolicæ, ad eandem ſedem duxerit appellandum, cauſa committatur in partibus per reſcriptum vſque ad finem litis: videlicet vſque ad tertiam ſententiam conformem incluſiuè, ſi ab illis appellari contigerit, niſi propter defectum denegatæ iuſtitiæ, aut iuſtum metum: & tunc committi debeat in partibus conuicinis, & cum cauſarum expreſsione de quibus etiam legitimè aliàs quàm per iuramentum coram iudicibus à ſede apoſtolica deputandis conſtare debeat. Proceſſus autem contra præmiſſa attentatos, nullos & irritos eſſe volumus: ac reſcripta contra præmiſſa impetrantes, in expenſis, damnis & intereſſe condemnari debere decernimus atque declaramus. Sanctæ verò Romanæ eccleſiæ cardinales, qui pro vniuerſali eccleſia continuè laborant, necnon dictæ ſedis officiales officia ſua actu exercentes, ſub præſenti decreto non intendimus comprehendi.

Officiales iſtos certo numero ac munere deſignari expediret, propter litis quæ hinc oriuntur.

Statuimus etiam & ordinamus quòd iudices, cauſas quæ in partibus terminari debent, coram eis pro tempore pendentes, ſub pœna excommunicationis, & priuationis beneficiorum per eos obtentorum, eo ipſo incurrenda, intra biennium terminare debeant

pars verò diffugiens,& expeditioné ipſius cauſæ malitioſè impediés, grauiſsimè per eoſdem iudices mulctetur,etiam vſque ad priuationem iuris in huiuſmodi proceſſu prætenſi,ſi eis viſum fuerit:ſuper quo eorum conſcientias oneramus. Ab interlocutoriis autem ſecundo,à diffinitiuis verò tertio prouocare non licere decernimus: ſed volumus ſecundam ſententiam interlocutoriam conformem, & tertiam diffinitiuam etiam conformem,omni mora ceſſantè executioni debitæ demandari debere, quacunque appellatione interpoſita nõ obſtante.

Sententię executioni demandandæ, quæ.

DE PACIFICIS POSSESSORIBVS.

STATVIMVS quoque quòd quicunque dummodo non ſit violentus,ſed habens coloratum titulum,pacifice & ſine lite prælaturam, dignitatem,perſonatum, adminiſtrationem vel officium,ſeu quodcunque beneficium eccleſiaſticum triennio proximo hactenus,vel pro tempore poſſederit,ſeu poſsidebit:in petitorio vel poſſeſſorio à quoquam etiá ratione iuris nouiter reperti moleſtari nequeat, præterquam prætextu hoſtilitatis,aut alterius legitimi impedimenti, de quo proteſtari, & illud iuxta concilium Viennenſe intimari debeat. Lis autem hoc caſu quo ad futuras

Triēnalis poſſeſſor pacificus &c. ne inquiretur.

ad futuras cōtrouerſias intelligatur, ſi ad executionem citationis, iuríſque ſui in iudicio exhibitionem, aut terminorum omnium obſeruationem proceſſum fuerit. Monemus etiam ordinarios, vt diligenter inquirant nequis ſine titulo beneficium poſsideat: & ſi quem beneficium ſine titulo poſsidere repererint, declarent illi ius non competere, cuiuſuis temporis detentione nō obſtante: de ipſoq; beneficio poſſit illi, dummodo non ſit intruſus, vel violentus, aut aliàs indignus, vel alteri idoneo prouideri.

DE PVBLICIS CONCVBINARIIS.

Et inſuper ſtatuimus, ꝙ quicunque clericus, cuiuſcunque conditionis, ſtatus, religionis, dignitatis, etiam ſi pontificalis vel alterius præeminentiæ fuerit, poſt præſentium notitiam (quam habere præſumatur poſt duos menſes poſt earundem præſentiũ publicationem in eccleſiis cathedralibus factã, quàm ipſi diœceſani omnino facere teneantur poſtquam præſentes ad eorum notitiam peruenerint) fuerit publicus concubinarius, à perceptione fructuum omnium beneficiorum ſuorum trium mẽſium ſpatio ſit ipſo facto ſuſpenſus: quos ſuus ſuperior in fabricam, vel aliam euidentem eccleſiarum vtilitatem, ex quibus ij Pœna publicorum concubinariorum.

ſructus percipiuntur, conuertat. Necnon huiuſmodi publicum concubinarium, vt primum talem eſſe nouerit, mox ſuus ſuperior monere teneatur, vt intra breuiſsimum terminum concubinam dimittat: & ſi illam non dimiſerit, vel dimiſſam, aut aliam publicè reſumpſerit, iubemus vt ipſum omnibus ſuis beneficiis omnino priuet. Et nihilominus ij publici concubinarij vſquequo cum eis per ſuos ſuperiores poſt ipſarum concubinarum dimiſsionem, manifeſtámque vitæ emendationem, fuerit diſpenſatum, ad ſuſceptionem quorumcunque honorum, dignitatum, beneficiorum, officiorúmve, ſint inhabiles. Qui ſi poſt diſpenſationem recidiuo vomitu ad huiuſmodi publicum concubinatum redierint, ſine ſpe alicuius diſpenſationis ad prædicta prorſus inhabiles exiſtát.

Pœna iudicū negligentiū punire publicos cōcubinarios.

Quòd ſi ij ad quos talium correctio pertinet, eos vt prædictum eſt punire neglexerint, eorum ſuperiores tá in ipſos de neglectu, quàm in illos pro concubinatu modis omnibus digna punitione animaduertant. In conciliis etiam prouincialibus & ſynodalibus aduerſus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per ſuſpenſionem à collatione beneficiorum, vel alia condigna pœna ſeueriter procedatur. Et ſi ij quorum deſtitutio ad nos & ſedem prædictam ſpectat, per concilia

ia prouincialia aut ſuos ſuperiores propter
ncubinatum publicum reperiantur priua-
one digni, ſtatim cum proceſſu inquiſitio-
s ad nos deferantur. Eadem diligentia &
quiſitio in quibuſcunque generalibus capi-
lis, etiam prouincialibus, quo ad eos ſerue-
ır: pœnis aliis contra prædictos & alios non
ublicos concubinarios à iure ſtatutis, in ſuo
obore permanſuris. Publici autem intelligen- Publici
i ſunt, non ſolùm ij quorum concubinatus concubi-
er ſententiam, aut confeſsionem in iure fa- narij.
ıam, aut per rei euidentiam quæ nulla poſ-
t tergiuerſatione cælari, notorius eſt: ſed e-
iam qui mulierem de incontinentia ſuſpe-
ctam, & diffamatam tenent, & per ſuum ſu-
periorem admoniti, ipſam cum effectu non
dimittunt. Quia verò in quibuſdam regioni-
bus nonnulli iuriſdictionem eccleſiaſticam ha
bentes pecuniarios quæſtus à concubinariis
percipere non erubeſcunt, patientes eos in
tali fœditate ſordeſcere, ſub pœna maledi- Pœna p̄la
ctionis æternæ præcipimus ne deinceps ſub torum à
pacto, compoſitione, aut ſpe alterius quæ- pub. cōcu
ſtus, talia quouis modo tolerent, aut diſsi- binarius
mulent: alioquin vltra præmiſſam negligen- munera
tiæ pœnam, duplum eius quòd propterea ac- accipien-
ceperint, reſtituere, & ad pios vſus omni- tium.
no conuertere teneantur & compellantur.

Ipſas autem concubinas aut ſuſpectas prælati omnibus modis curēt à ſuis ſubditis etiam per auxilium & inuocationem brachij ſecularis, ſi opus fuerit, penitus arcere. Qui etiam filios ex tali concubinatu procreatos apud patres ſuos cohabitare non permittant. Iubemus inſuper quòd in prædictis ſynodis & capitulis præmiſſa publicentur, & vt quilibet ſuos ſubditos ad ipſarum concubinarum dimiſsionem moneant diligenter. Iniungimus præterea omnibus ſecularibus viris, etiam ſi regali præfulgeant dignitate, ne vllum qualecunq; inferant impedimentum, quocunque quæſito colore, prælatis qui ratione officij ſui aduerſus ſubditos ſuos pro huiuſmodi concubinatu & aliis caſibus ſibi à iure permiſsis procedunt. Et cum omne fornicationis crimen lege diuina prohibitum ſit, & ſub pœna peccati mortalis neceſſario euitandum, monemus omnes laicos tam vxoratos q̃ ſolutos, vt ſimiliter à concubinatu abſtineant. Nimis enim reprehenſibilis eſt, qui vxorem habet & ad aliam accedit. Qui verò ſolutus eſt, ſi continere nolit, iuxta apoſtoli conſilium vxorem ducat. Pro huiuſmodi autem diuini obſeruantia præcepti ij ad quos pertinet, tam ſalutaribus monitis quàm aliis canonicis remediis omni ſtudio laborant.

Filij concubinariorũ apud patres ne cohabitent.

Fornicatio omnis lege diuina prohibita.

DE EXCOMMVNICATIS NON VITANDIS.

STATVIMVS inſuper ad vitãdum ſcandala, & multa pericula, ſubueniendúmque conſcientiis timoratis, quòd nemo deinceps à communicatione alicuius in ſacramentorum adminiſtratione vel receptione, aut aliis quibuſcunque diuinis, vel extra, prætextu cuiuſcũque ſententiæ aut cenſuræ eccleſiaſticæ, ſeu ſuſpenſionis, aut prohibitionis ab homine vel à iure generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, vel interdictum eccleſiaſticum obſeruare, niſi ſententia, prohibitio, ſuſpenſio, vel cenſura huiuſmodi fuerit cõtra perſonam, collegiũ, vniuerſitatem, eccleſiam, aut locũ certum, aut certã à iudice publicata & denuntiata ſpecialiter & expreſſe, aut ita notoriè in excõmunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, quòd nulla poſsit tergiuerſatione celari, aut aliquo iuris ſuffragio excuſari, à communione inquam illius abſtineri nolumus iuxta canonicas ſanctiones. Per hoc tamen huiuſmodi excommunicatos ſuſpenſos, interdictos ſeu prohibitos nõ intendimus in aliquo releuare, neque eis quomodolibet ſuffragari.

Statutum de excõmunicatis nõ vitandis, nõ ꝓdeſt ipſis.

DE INTERDICTIS NON LEVITER PONENDIS.

ET QVONIAM ex indiſcreta interdictorum promulgatione multa conſueuerunt ſcandala euenire, ſtatimus quòd nulla ciuitas, oppidum, caſtrum, villa, aut locus eccleſiaſtico ſupponi poſsit interdicto, niſi ex cauſſa ſeu culpa ipſorum locorum, aut domini, ſeu rectoris, vel officialium. Propter culpam autem ſeu cauſſam alterius cuiuſcunque priuatæ perſonæ huiuſmodi loca interdici nequaquam poſsint auctoritate quacunque ordinaria, vel delegata, niſi talis perſona prius fuerit excommunicata, ac denunciata, ſeu in eccleſia publicata: aut domini ſeu rectores vel officiales ipſorum locorum auctoritate iudicis requiſiti huiuſmodi perſonam excommunicatam intra biduum inde cum effectu non eiecerint, aut ad ſatisfaciendum compulerint: qua etiam poſt biduum eiecta recedete vel ſatisfaciente, mox diuina reſumi poſsint. Quod etiam in pendentibus locum habere decernimus.

DE

DE SVBLATIONE CLEMENTINAE LITERIS.

NECNON conſtitutionem de eorundem fratrum noſtrorum conſilio editam, qua cũ irritante decreto ſtatuimus, decreuimus & ordinauimus, quòd ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus de ceſsione regiminis & adminiſtrationis eccleſiarum & monaſteriorum facta per eos qui eccleſiis & monaſteriis ipſis præerant, ſeu illam adminiſtrationem ſeu cõmendam, aut vt aliis vnita aut aliàs obtinebãt, ſeu reſignatione aliorum quorumcunque beneficiorũ eccleſiaſticorũ, ſeu ceſsione iuris in eis vel ad ea quomodolibet cõpetentis, aut priuationis vel diſpoſitionis, aut cenſurum fulminatione, etiam in literis apoſtolicis à nobis & ſede apoſtolica, etiam motu proprio pro tempore emanatis, quæ in manibus Romani pontificis factæ dicuntur, contentis: etiam ſi ſuper illis narratis fundaretur intentio, conſtare & apparere deberet per publicana inſtrumenta vel documenta authentica: alioquin tam in iudicio quàm extra illud, narratiuis & aſſertionibus huiuſmodi in præiudicium tertij minimè ſtari, nec ex illis alicui præiudicinm afferri deberet, niſi

de huiuſmodi narratiua & aſſertione etiam in literis apoſtolicis facta altero ex præmiſsis modis doceretur: innouamus, illámque perpetuis futuris tẽporibus inuiolabiliter obſeruari mandamus.

DE FIRMA ET IRREVOCABILI CONCORDATORAM STABILITATE.

Cõcordatũ habet vim firmiſſimi cõtractꝰ.

ET QVIA ſupradictam concordiam cum præfato Franciſco rege, ob illius ſyncerã deuotionẽ, quàm erga nos & ſedem prædictam habere monſtrauit cùm ad præſtandam nobis reuerentiam & filialem obedientiam, ad ciuitatem noſtrã Bononiæ perſonaliter venire dignatus eſt, conſentimus, illámque inuiolabiliter obſeruari deſideramus: illam veri cõtractus & obligationis inter nos & ſedem apoſtolicam prædictã ex vna, & præfatum Regem & regnum ſuum ex altera partibus legitimè initi, vim & robur obtinere: ac illi, & præſentibus, in aliqua ſui parte, per quaſcunque literas & gratias per nos & ſucceſſores noſtros deſuper concedendas derogari, clauſulámque cum earundẽ derogatione præſentium tenore latiſsimè extendenda, ac ꝙ eædẽ præſentes literæ & earũ tenor pro expreſsis

habeantur,

habeantur, in quibuſuis ſupplicationibus pro tempore ſignatis appoſitã, nihil penitus operari, & illius vigore in literis apoſtolicis ſuper ipſius ſupplicationibus cõficiendis quicquam, per quod præſentibus aut alicui particulæ de contentis in eis derogaretur ſeu derogari videretur, narrari non poſsit: & ſic per quoſcunque iudices & commiſſarios, etiam cauſſarũ dicti palatij apoſtolici auditores, & præfatæ Romanæ eccleſiæ cardinales, in quibuſuis cauſsis ſuper præmiſsis vel eorum aliquo pro tempore motis iudicari, diffiniri, & ſententiari debere, ſublata eis aliter ſententiandi & diffiniendi omnimoda facultate & auctoritate: necnõ irritum & inane quicquid ſecus ſuper his vel eorum aliquo à quoquam quauis auctoritate etiã per nos & ſucceſſores noſtros præfatos ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Volumus autem quòd ſi præfatus rex præſentes literas ác omnia & ſingula in eis cõtenta, quæ in prima futura ſeſsione præſentis concilij Lateranenſis approbari & confirmari facere promittimus, intra ſex menſes à die approbationis & confirmationis huiuſmodi computandos non ápprobauerit & ratifficauerit, & ea perpetuis futuris tẽporibus in regno ſuo, & omnibus aliis locis & dominiis dicti regni per omnes prælatos & alias etiam eccleſiaſti-

Cõcordati approbatio, publicatio & regiſtratio vt & vbi facienda.

BIBLIOTHECA [illegible]

cas perſonas ac curias parlamenti acceptari, legi, publicari, iurari & regiſtrari, ad inſtar aliarum conſtitutionum regiarum: & de acceptatione, lectione, publicatione, iuramento & regiſtratione prædictis, intra prædictum tempus per omnium & ſingulorum ſupradictorum patentes literas, aut authenticas ſcripturas nobis non tranſmiſerit, aut nuntio noſtro apud ipſum Regem exiſtenti, per eum ad nos mittendas non conſignauerit: Et deinde ſingulis annis etiam legi prout aliæ ipſius Franciſci regis conſtitutiones & ordinationes, quæ in viridi ſunt obſeruantia, obſeruari debent, inuiolabiliter obſeruari cum effectu non fecerit: præſentes literæ, & inde ſecuta, quæcunque ſint, caſſa & nulla, nulliúſque roboris vel momenti. & cum omnium quę in regno, Delphinatu & comitatu prædictis agantur, notitiam non habeamus: conſuetudines, ſtatuta ſeu vſus libertati eccleſiaſticæ & aúctoritati ſedis apoſtolicæ quomodolibet prędiudicantia, ſi qua in regno, delphinatu & comitatu prædictis aliàs quàm in præmiſsis exiſtant, non intẽdimus nobis & Romanæ ſedi in aliquo præiudicare, ſeu illa tacitè vel expreſsè quomolibet approbare. Et nihilominus præfato Franciſco, & pro tempore exiſtenti Francorum regi, in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus,

Cõcordatum ſingulis legi debet.

quatinus

quatinus per ſe vel alium ſeu alios in dignitate eccleſiaſtica conſtitutos, præſentes literas, ac omnia & ſingula in eis contenta, quando & quotiens opus fuerit, publicari, & ea inuiolabiliter obſeruari faciat, contradictores cuiuſcunque dignitatis & præeminentiæ fuerint, per cenſuras eccleſiaſticas, & pecuniarias pœnas, aliáque iuris & facti quęuis opportuna remedia (appellatione qualibet omnino poſtpoſita) compeſcendo: Non obſtantibus omnibus ſupradictis: aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſsint per literas apoſtolicas nõ facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

FORMA MANDATI APOSTOLICI.

LEO epiſcop⁹ ſeruus ſeruorũ dei, venerabili fratri epiſcopo N. & dilectis filiis, capitulo ſingulíſq; canonicis eccleſiæ N. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Vitæ morũ honeſtas, aliáq; laudabilia probitatis, virtutũ merita ſuper quibus dilectus filius N. ud nos fide digno cõmendatur teſtimonio

nos inducunt vt ſibi reddamur ad gratiam liberales. Hinc eſt quòd nos cupientes vt idem N. iuxta illius quæ per fœlicis recordationis Gregorium papam IX. prædeceſſorem noſtrũ ad tunc epiſcopum Nouiomenſem directa extitit, quæ incipit, Mandatum, & aliarũ duarum illam immediatè ſequẽtium decretalium formas, de canonicatu & præbenda aut dignitate, perſonatu, adminiſtratione, vel officio veſtræ vel alterius eccleſiæ, aut alio beneficio cũ cura vel ſine cura, etiam ſi parochialis eccleſia vel eius perpetua vicaria aut capella ſiue perpetua capellania fuerit, ad veſtram collationẽ, nominationem ſeu præſentationem, & aliam quamcunque diſpoſitionem pertinens, prouideri poſsit. Ac volentes præfato N. præmiſſorũ meritorum ſuorũ intuitu gratiam facere ſpecialem, ipſumque quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti aliíſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſeriè abſoluentes, & abſolutũ fore cenſentes: Necnon omnia & ſingula beneficia eccleſiaſtica cum cura & ſine cura quæ præfatus N. etiam ex quibuſuis apoſtolicis diſpenſationibus obtinet & expectat, ac in quib⁹ & ad quę

Veſtræ vel alterius, diſerte additũ: quia mandatũ apoſtolicũ nõ dirigit̃ ſuper certã ſpecificatam eccleſiam.

ius

ius ſibi quomodolibet competit, quæcunque quodcunque & qualiacunque ſint, eorúmque fructuum reddituũ & prouentuum veros annuos valores ac huiuſmodi diſpenſationũ tenores præſentibus pro expreſsis habentes motu proprio, non ad ipſius N. vel alterius pro eo nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate: diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mãdamus, quatinus ſi vobis pro alio nõ ſcripſerimus qui ſimile mãdatum aut ſimilem gratiam proſequatur, canonicatum & præbendam aut dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem officium veſtræ vel alterius eccleſiæ, aut aliud beneficiũ eccleſiaſticum cũ cura vel ſine cura, etiam ſi parochialis eccleſia vel eius perpetua vicaria aut capella, vel perpetua capellania fuerit, ad veſtrã collationem, prouiſionem, præſentationem, nominationem, ſeu quanuis aliam diſpoſitioné pertinentem, etiam ſi dignitati, perſonatui, adminiſtrationi vel officio huiuſmodi cura immineat animarũ, dummodo talis dignitas electiua non exiſtat, cum creatione in canonicũ veſtræ vel alterius eccleſiæ, & ſi in ea ſtatuto & priuilegio expreſſe caueatur quòd nulli de ditate, perſonatu, adminiſtratione vel officio ꝓuideri poſsit, niſi cũ effectu illius eccleſiæ canonicus exiſtat, canonicatum huiuſmodi eccleſiæ

Forma mãdati apoſtolici ꝓ clericis ſecularibus.

cum plenitudine iuris canonici, & non obſtante de certo canonicorum numero ad effectum huiuſmodi dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium duntaxat, & non aliàs: auctoritate apoſtolica, tenore præſentiũ conferimus, & de illo etiam prouidemus, ſi quem, quam vel quod poſt menſem poſtquam præſentes literæ vobis præſentatæ fuerint, extra Romanam curiam vacare contigerit, cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus & pertinentiis ſuis, eidem N. conferatis, & de illo aut illa prouideatis, ſeu ipſum ad illum, illam vel illud præſentetis aut nominetis: ipſúmque N. in canonicum & in fratrem veſtrę vel alterius eccleſiæ ad effectum tantum obtinendi dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium huiuſmodi recipiatis, ſtallum ſibi in choro & locũ in capitulo cum plenitudine iuris canonici aſsignetis, inducentes eundem N. vel procuratorem eius nomine, in corporalem poſſeſsionem canonicatus & prębendæ aut dignitatis, perſonatus, adminiſtrationis vel officij ſeu beneficij huiuſmodi, iuriúmque & pertinentiarum vniuerſorum prædictorum: defendentéſque inductum, ac facientes N. vel pro eo procuratorem prædictũ ad præbendam aut dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium ſeu beneficium huiuſmodi

huſmodi quodcunque fuerit, vt moris eſt admitti, ſibique de illius vel illorum fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus & obuentionibus vniuerſis integrè reſponderi, non obſtante forſan vt ſupra de certo canonicorum numero, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ac dictæ veſtræ vel alterius eccleſiæ iuramento, confirmatione apoſtolica vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus contrariis quibuſcunque, aut ſi vobis ab apoſtolica ſit ſede indultum quòd ad receptionem vel prouiſionem alicuius minimè teneamini, quódque de canonicatibus & præbēdis ſeu dignitatibus, perſonatib⁹ adminiſtrationib⁹ vel officiis veſtrę vel alterius eccleſiæ aut aliis beneficiis eccleſiaſticis quibuſcūq; ad veſtrā collationē, ꝓuiſionē, prçſentationē, nominationē ſeu quāuis aliam diſpoſitionem cōmuniter vel diuiſim pertinētibus, nulli valeat ꝓuideri per literas apoſtolicas, nō faciētes plenā & expreſſam, ac de verbo ad verbū de indulto huiuſmodi mētionē, & qualibet alia dictę ſedis indulgētia generali, vel ſpeciali cuiuſcunque tenoris exiſtat: per quam præſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertam, effectus gratiæ impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cuiuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio

ſpecialis ſeu ſi dictus N. præſens non fuerit ad præſtandũ de obſeruandis ſtatutis & conſuetudinibus veſtræ vel alterius eccleſiæ ſolitũ iuramentum, dũmodo in abſentia ſua per procuratorem idoneum, & cũ ad eccleſiam ipſam acceſſerit corporaliter illud præſtet Datum &c.

Simili modo Leo &c.

Literæ executoriales, mãdati apoſtolici.

Dilectis filiis N. & N. ac N. officialibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Hodie cupientes vt dilecto filio N. clerico N. diocœſis iuxta illius quæ olim per fœlicis recordationis Gregoriũ papam IX. prædeceſſorem noſtrũ ad tunc epiſcopum Nouiomenſem directa extitit, quæ incipit Mandatum, & aliarũ duarum illam immediatè ſequentium decretalium formas, de canonicatu & præbenda aut dignitate, perſonatu adminiſtratione vel officio eccleſiæ N. aut alio beneficio, eccleſiaſtico cũ cura vel ſine cura prouideri, Motu proprio venerabili fratri noſtro epiſcopo N. & dilectis filiis, capitulo, ſinguliſque canonicis eccleſiæ N. per alias literas noſtras mãdauimus quatinus ſi eis communiter vel diuiſim pro alio non ſcripſiſſemus qui ſimile mandatũ aut ſimilem gratiã proſequeretur; eidem N. canonicatum & præbendam, aut dignitatem, perſonatũ, adminiſtrationem vel officium aut beneficium eccleſiæ N. aut aliud beneficium eccleſiaſticũ ad eorum

collationem,

collationem,prouiſionem,pręſentationem,no minationem ſeu quanuis aliam diſpoſitionem cõmuniter vel diuiſim pertinens, ſi quem, quã vel quòd poſt menſem poſt præſentationẽ earundem literarũ vacare contingeret,cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus & pertinentiis ſuis prout ad eos cõmuniter vel diuiſim pertineret, cõferrent & aſsignarent:aut eum ad illa præſentarent,eligerẽt,nominarẽt, ſeu de illis prouiderent prout in eiſdem literis plenius continetur. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus quatinus vos vel duo aut vnus veſtrum, per vos vel alium ſeu alios, ſi epiſcopus, capitulum, & canonici prædicti canonicatum & præbendam aut dignitatem, perſonatũ & adminiſtrationem vel officium, aut beneficiũ huiuſmodi eidem N. conferre & aſsignare, ac de illis etiam prouidere recuſauerint, ſeu diſtulerint, aut negligentes fuerint, canonicatum & præbendam aut dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium ſeu beneficiũ huiuſmodi cũ plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus & pertinentiis ſupradictis eidem N. conferre & aſsignare, necnon eundem N. ad illa, vt moris eſt admittere, & in canonicũ recipere & in fratrem,ſtallo ſibi in choro & loco in capitulo aſsignatis,omniáque & ſingula

alia in dictis literis contenta, aliàs iuxta earundem continentiam atque formam in omnibus & per omnia facere & exequi curetis. Contradictores prout iuſtitia ſuadebit ad hoc compeſcendo, non obſtantibus omnibus quæ in dictis literis voluimus non obſtare. Datum &c. Pro regularibus autem ſimilis forma illis conueniens detur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti ordinationis, ſuſpenſionis, aſtrictionis, declarationis, præcepti, iniunctionis, monitionis, innouationis, conſenſus, decreti, voluntatis, promiſsionis & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurũ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſextodecimo, quintodecimo Calendas Septembris: Pontificatus noſtri anno quarto. Nos igitur vt literæ ipſæ quæ ob id præcipuè editæ fuerunt, vt in corpore myſtico, ſancta videlicet eccleſia perpetua charitas & pax inuiolata perdurent, & ſiqua membra diſſentiant, ea commodè ſuo reinſerantur corpori, eo magis obſeruentur, quo clarius conſtiterit ipſas literas ea matura & ſalubri deliberatione à nobis dicto ſacro Lateranenſi

Forma mãdati apoſtolici data ſecularib⁹ clericis locũ ſibi vẽdicat etiam in regularibus.

nenſi approbante concilio approbatas & inno uatas, qua ſtatutæ & ordinatæ fuerunt, licet ad earūdem literarum ſubſiſtentiam & validitatē alia approbatione nō indigerent: ad abundantiorem tamen cautelam, vt eo tenacius obſeruentur, & difficilius tollantur, quo tantorum patrum fuerint maiore approbatione munitæ: literas prædictas cum omnibus & ſingulis ſtatutis, ordinationibus, decretis, diffinitionibus, pactis, conuentionibus, promiſsione, voluntate ac pœnarum inhibitione, aliiſque omnibus & ſingulis clauſulis in eo contentis: illa præſertim qua voluimus, quòd ſi præfatus Franciſcus rex ſupradictas literas ac omnia & ſingula in eis contenta intra ſex menſes à data præſentium computandos non approbaret & ratificaret, & ea perpetuis futuris temporibus in regno ſuo & aliis locis & dominiis dicti regni, per omnes prælatos & alias eccleſiaſticas perſonas ac curias parlamentorū, acceptari, legi, publicari, iurari & regiſtrari ad inſtar aliarū cōſtitutionum regiarū. Et de acceptatione, lectione, publicatione, iuramēto & regiſtratione prædictis, intra prędictū tempus per omnium & ſingulorū ſupradictorum patentes literas aut authenticas ſcripturas nobis nō tranſmitteret, aut nuntio noſtro apud ipſum regem exiſtenti, per eū ad nos deſtinendas non conſi-

Concordatum iſtud voluit Leo papa ſortiri effectum ſub cōditione hic inſerta.

g narẽt,& deinde ſingulis annis etiá legi, prout
a iæ ipſius Frãciſci regis conſtitutiones& ordi-
nationes quæ in viridi ſunt obſeruantia, obſer-
uari debent, inuiolabiliter obſeruari cum effe-
ctu non fecerit,literæ ipſæ & inde ſecuta, quę-
cunque eſſent,caſſa & nulla, nulliúſque robo-
ris, vel momenti (ſacro Lateranenſi conſilio
approbante)apoſtolica auctoritate & poteſta-
tis plenitudine approbamus& innouamus,eáſ-
que inuiolabiliter & irrefragabiliter obſeruari
& cuſtodiri mandamus, robúrque perpetuæ fir
mitatis in euentũ dictarum approbationis &
ratificationis,& non aliter nec alio modo ob-
tinere, omnéſque in dictis literis cõprehenſos,
ad ipſarum literarũ ac omnium & ſingulorũ in
eis expreſſorũ obſeruationẽ,ſub cenſuris & pœ
nis ac aliis in eis contentis, iuxta earundem li-
terarũ tenorem & formam teneri & obligatos
eſſe decernimus & declaramus: nõ obſtantibus
conſtitutionibus &ordinationibus apoſtolicis,
ac omnibus illis quæ in dictis literis voluimus
non obſtare, cæteríſque contrariis quibuſcun-
que. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
paginam noſtræ approbationis, innouationis,
mãdati,decreti & declarationis infringere, vel
ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc
attentare præſumpſerit,indignationem omni-
potentis Dei,ac beatorum Petri & Pauli apo-
ſtolorum

ſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ in publica ſeſsione in Lateranẽſi ſacroſancta Baſilica ſolenniter celebrata. Anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexto decimo, quarto decimo Calendas Ianuarij, Pontificatus noſtri anno quarto. Sic ſignatu. viſa. Ie. ſalui. Bembus. Io. de Madrigal. Et in dorſo regiſtrata apud me Bembum.

Quocirca dilectis & fidelibus cõſiliariis noſtris ad præſens tenentibus, & qui in futurũ noſtra tenebunt parlamenta, Omnibúſque iuſtitiariis regni noſtri & delphinatus ac comitatus noſtrorum cæteríſque officiariis, & ſubditis noſtris, & eorũ cuilibet prout ad eum pertinuerit, mãdamus, diſtrictius iniungentes, quatinus omnia præmiſſa & ſingula teneant, cuſtodiant & conſeruent in ſua roboris plenaria firmitate. Et in cauſis quibuſcũque occaſione præmiſſorum de cætero orituris & emerſuris ſecundum deliberationes & concluſiones præſcriptas iudicent, pronũtient & ſententient, atque ab omnibus ſubditis & incolis noſtrorũ regni delphinatus ac comitatus inuiolabiliter faciãt in omnibus & per omnia obſeruari, prædictas perſonas eccleſiaſticas & ſeculares ac earum quamlibet in omnibus & ſingulis ſuperius expreſsis, ab omni turbatione, violentia, impreſſione, moleſtatione, vexatione, damno & im-

pedimento tueantur, protegant,pariter & defendant. Omnes & quaſcunque perſonas cuiuſuis conditionis ac ſtatus ſuerint, contrafacientes aut venientes taliter puniendo, quòd in poſterum cæteris cedat in exemplum: quoniam ſic fieri volumus & iubemus per præſentes. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus literis duximus apponendum. Datum Pariſiis die decimatertia menſis Maij, anno domini milleſimo quingenteſimo decimoſeptimo: & regni noſtri tertio.

Sic ſignatum ſupra plicam, Per regem dominis ducibus Alenconij, Borbonij, & Vindocinenſis, vobis dominis Dorual, de la Trimoille, de Boyſi, Magno magiſtro, Baſtardo Sabaudiæ, de la Palice & de Chaſtillon Mareſchalibus Fráciæ, & aliis præſentibus, Robertet.

Lecta, publicata & regiſtrata ex ordinatiotione & de præcepto domini noſtri Regis reiteratis vicibus facto in pręſentia domini de Trimolia, primi cãbellani dicti domini noſtri Regis, ad hoc per eum ſpecialiter miſsi, Pariſiis in parlamento viceſimoſecundo die Martij, anno domini milleſimo quingenteſimo decimoſeptimo. Sic ſignatum, Pichon.

FRAN-

FRANCISCVS Dei gratia Francorum rex, Mediolani dux,& Genuæ dominus, vniuerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem. Cũ vrgente neceſſitate, euidentíque cõmodo & vtilitate Repub. regni noſtri ducti ad euitanda maiora pericula quæ ex reuocatione Pragmaticę in futurũ euentura cernebamus, ſiue illi reuocationi obediretur, ſiue non obediretur, quæ vnicuiq; rectè ſentienti latiſsimè conſtare poſſunt, certa iniuerimus cum ſancta ſede apoſtolica concordata, in quibus inter cætera cautum eſt, ꝙ intra ſex menſiũ ſpatiũ illa publicari & regiſtrari, necnon iurari in curiis noſtris parlamentorũ efficeremus, eccleſiámque gallicanam illis cõſentire: aliàs nullius eſſent momenti, quæ nullatenus ob breuitatem tẽporis, aliis etiam vrgentibus negotiis occupati, perficere valuimus, idcirco ne in rete (quod verebamur) incideremus, & ne cõmodo & vtilitate dictorũ cõcordatorum fruſtraremur: à ſede apoſtolica poſt lapſum dicti ſpatij ſex menſiũ vnius anni prorogationem obtinuimus. Cæterum cum in dictis concordatis inter cætera etiam caueretur quòd verus valor beneficiorum in illorum impetrationibus exprimendus ſit, timendum

ctat ne ambitioſi ſub prętextu veri valoris non
expreſsi iam dicta impetrarent beneficia. Igi-
tur vt prędictis malitiis via pręcluderetur, à ſan
ctiſsimo domino noſtro papa Leone decimo
reſcriptū obtinuimus, quo impetrationes præ-
textu veri valoris non expreſsi obtentæ intra
annum illius reſcripti in quo verus valor non
fuiſſe expreſſus aſſeritur, nullius valoris ac mo
menti eſſe declararentur: Quarum bullarū ſeu
reſcriptorum tenor ſequitur, & eſt talis.

LEO epiſcopus ſeruus ſeruo-
rū Dei, chariſsimo in Chri-
ſto filio Franciſco, Franco-
rum regi chriſtianiſsimo ſa-
lutem & apoſtolicā benedi-
ctionem. Dudum ſiquidem
inter alia cum irritātis appoſitione decreti ſta-
tuimus & ordinauimus quòd ex tunc de cæte-
ro occurrentibus cathedralium & metropoli-
tanarum eccleſiarū ac monaſteriorum in re
gno Franciæ, & delphinatū ac comitatū Vie-
nenſi, & Valentinenſi cōſiſtentium vacationi-
bus, dilecti filii eccleſiarum capitula, & mona-
ſteriorum conuentus ad electiones ſeu poſtu-
lationes futurorum archiepiſcoporum, epiſco
porum, ac abbatū, eccleſiarum & monaſterio-
riorū vacātium, pro tempore huiuſmodi pro-
cedere nō valerent, ſed maieſtas tua ad eccle-
ſias &

ſias & monaſteria huiuſmodi ſic vacantia, intra certum tunc expreſsi temporis ſpatium nobis & pro tempore exiſtenti Romano pontifici perſonas idoneas certo tunc expreſſo modo qualificatas, ad eádem nominationem per nos & Romanum pontificem huiuſmodi eccleſiis & monaſteriis eiſdem præficiendas nominare valeres, prout in noſtris inde cōfectis literis (in quibus voluimus) quòd ſi maieſtas tua omnia in illis ſtatuta, ordinata & contenta, intra ſex menſes poſt tunc proximam futuram ceſsionē Lateranenſis concilij tunc vigentis, non approbares & confirmares, & à prælatis ac aliis perſonis tunc expreſsis regni tui approbari non faceres, literæ ipſæ nullius eſſent roboris vel momenti plenius continetur. Cum autem (ſicut exhibita nobis pro parte tua petitio continebat) maieſtas tua propter varias occupationes quibus ad præſens implicitus ex iſtis, ac ex certis aliis rationabilibus cauſsis, intra dictum ſemeſtre intra quod adhuc exiſtis, in dictis literis cōtenta, per prælatos & perſonas regni tui huiuſmodi approbari facere poſſe commode non confidat: Nos itaque tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati ſemeſtre prædictum intra quot adhuc exiſtis, ad annum à data præſentiū computandum, auctoritate apoſtolica tenore præſentiū prorogamus pariter & extendimus:

Non obſtantibus cõſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, necnon omnibus illis quę voluimus in dictis literis non obſtare, cæteríſque contrariis quibuſcũque. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginam noſtræ prorogationis & extenſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationẽ omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurũ. Datum Romæ apud ſanctum Petrũ, anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo decimoſeptimo Calendis Iulij, pontificatus noſtri anno quinto.

LEO episcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuá rei memoriam. Romanus pontifex (cui tot tantáque in ſpiritualibus & temporalibus prouidenda incumbunt) rerum & temporum qualitate penſata nonnulla prout ad cunctorum clericorum beneficia eccleſiaſtica à ſede apoſtolica pro tempore impetrantium commoda & vtilitates, ac litibus & fraudibus obuiandum oportere conſpicit, ſalubriter ordinat & diſponit. Nuper ſiquidem inter conſtitutiones ad laudem Dei & Chriſti fidelium pacem & quietem de fra-

trum

trum noſtrorum conciliò cum chariſsimo in Chriſto filio noſtro Franciſcò, Francorum rege Chriſtianiſsimo, matura deliberatione concordatas, ſtatuimus quòd in ꝓuiſionibus quas perſonis quibuſuis regni Franciæ ac Delphinatus & comitatus Vienenſis & Valentinenſis de beneficiis vacantibus, ſeu certo modo vacaturis per nos & ſucceſſores noſtros & ſedem prædictam, etiam motu proprio, etiam promotis ad eccleſias cathedrales & metropolitanas & monaſteria, vt obtenta per eos beneficia retinere poſſent, fieri contingeret, illorum verus annuus per florenos aut ducatos auri de camera, aut libras turonenſes, ſeu alterius monetæ valor ſecundum communem æſtimationem exprimi deberet, alioquin gratiæ ipſæ eſſent ipſo iure nullæ. Cum autem (ſicut accepimus) ſæpè contingeret perſonas regni & Delphinatus ac comitatus huiuſmodi vacatione beneficiorum in locis remotis regni ac Delphinatus & comitatus eorundem per obitum pro tempore vacantium intellecta, eorum veri valoris notitiam habere non poſſe, & veri valoris huiuſmodi notitia non habita, ad illa à Romano pontifice impetrandum, celerem nuntiũ ad ſedem prædictam deſtinare, & ſignaturam ſupplicationis ſuper illorum impetratione cum facultate verum annuũ valorem

beneficiorum huiuſmodi in literarum ſuper huiuſmodi ſupplicationibus expeditione augendi, obtinere, & ad effectum poſſeſsionem beneficiorũ huiuſmodi aſſequendi, literas ſuper huiuſmodi impetrationibus, cum minus vera valoris beneficiorum eorundem expreſsione expedire, & abſque eorũ culpa, diligentia & expenſis pro impetratione huiuſmodi obtinenda factis, & gratia eis à nobis cõceſſa & illius effectu fruſtrari, ac ꝑ poſteriores qui nulla adhibita diligẽtia, cum expreſsione veri valoris eadem beneficia à ſede prædicta impetrarunt, excludi, ac deſuper propterea moleſtari: Nos qui ſubditorum noſtrorũ commoda libenter procuramus, ac eos à litibus & expẽſis quantũ cum domino poſſumus, releuamus, motu proprio ac ex certa noſtra ſcientię, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine; ſtatuimus & ordinamus, ꝙ de cætero perpetuis futuris temporibus impetrantes beneficia eccleſiaſtica in regno, delphinatu & comitatu prædictis per obitum duntaxat vacantia, ſi verum annuũ valorem beneficiorum in literis apoſtolicis quæ ſuper dictis beneficiis expeditæ fuerint, nõ expreſſerint intra annum à die datæ literarum earundem computandum, valorem ipſum malè expreſſum corrigi per officiales ad quos expeditio literarũ huiuſmodi pertinet, & correctiones literarũ ea-

rundem fieri conſueuerunt, petere: ipſique offi ciales, ipſarum literarum expeditioni præſiden tes, ad eorundem impetrantium ſimplicem pe titionem, valorem ipſorum adverum annuum valorem iuxta petentiũ voluntatem in eiſdem literis reducere & corrigere. Ipſique impetran tes pro augmento valoris expreſsi dũtaxat an natam cameræ apoſtolicæ ſoluere debeant & teneantur: decernentes quaſcunque impetra- tiones poſteriores de dictis beneficiis, ratione non expreſsionis veri valoris huiuſmodi intra dictum annum factas, nullius roboris vel mo- menti eſſe, & pro infectis haberi debere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorũ ſtatuti, ordinationis & decreti infrin- gere, vel ei auſu temerario cõtraire. Siquis au- tem hoc attentare præſumpſerit, indignationẽ omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Da- tum Romæ apud ſanctum Petrum anno incar nationis dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexto, decimo Calendas Octobris, Pontificatus noſtri anno quarto. Quocirca dilectis & fide- libus conſiliariis curias noſtras parlamenti te- nentibus, necnon ſeneſcallis, bailliuis, præpoſi- tis aliiſque iuſtitiariis & officiariis noſtris harũ ſeriè mandamus & iniungimus quatinus præ- ſentium tenorem ſuis in regiſtris regiſtrent, vt

ſi pro rebus & negotiis in dies occurrentibus, illis quis opus habuerit, ex dictis regiſtris illas extrahere poſsit & valeat. Cui extracto debito modo facto talem fidem haberi volumus, ac ſi prædictarum bullarum originale exhiberent. Nam ſic fieri volumus: & quatinus opus eſſet, ex noſtra certa ſcientia & poteſtatis plenitudine ita fore ordinamus. Datum Ambaſiæ die duodecima menſis Aprilis, anno domini milleſimo quingenteſimo decimooctauo, & regni noſtri quarto.

Sur le reply eſt eſcript, per Regem. ainſi ſigné, Robertet: & ſeellé a double queue, & cire iaulne.

DECLARATIO PRIMI MENSIS POST PVBLICATIONEM.

FRANCISCVS Dei gratia Francorum rex, Mediolani dux, & Genuę dominus. Quum ſuperioribus diebus certa iniuerimus concordata cũ ſanctiſsimo domino noſtro papa Leone decimo: quibus inter cætera ordinatur quatinus beneficia vacantia primo menſe poſt publicationem illorum afficiantur graduatis ſimplicibus: Verum quum ex diuerſitate temporũ quibus iam dicta cõcordata publica-

ta in parlamentis noſtris fuere, dictorum menſium diuerſitas, confuſionem litium educatricem generare veriſimile potuiſſet: Nos igitur vt dictę cõfuſioni obicem opponeremus, à iam dicto domino ſanctiſsimo, domino noſtro papa literas apoſtolicas obtinuimus: quarum tenor de verbo ad verbum inferius deſcribitur: quibus permiſſum & conceſſum eſt illum primum menſem exprimere nobis ac nominare licere. Eapropter facultatẽ nobis à ſede apoſtolica prædicta conceſſam inſequentes, conſiderantéſque dicta cõcordata in curia noſtra parlamenti Pariſiis in menſe Martij vltimæ præteriti fuiſſe publicata, menſem præteritũ Aprilis, dictam publicationem immediatè ſequentem, pro proximo menſe eligimus & nominamus. Ex cuius initio ordo & cõputatio ſequentium menſium: vt qui menſes graduatis ſimplicibus, necnon graduatis nominatis, ac ordinariis collatoribus ſpectant, ſciatur: & iuxta illorũ ordinem beneficiis in illis vacãtibus prouideatur, tenorem dictorum concordatorum inſequendo: nullo habito reſpectu ad tempus publicationis eorundem concordatorum in aliis curiis noſtris parlamenti factæ. Quocirca dilectis & fidelibus conſiliariis noſtris parlamenta noſtra Pariſiis, Tholoſæ, Burdegalæ, Rothomagi, Diuione, Gratianopoli te-

nentibus, necnon cæteris noſtris iuſtitiariis & officiariis mandamus & iniungimus quatinus has præſentes literas noſtras publicare habeant: necnon in ſuis regiſtris regiſtrare, vt nemo ignorantiæ cauſam prætendere poſsit aut valeat: & iuxta tenorem iam dictæ facultatis nobis conceſſę, & declarationis per nos factæ, proceſſus iudicare habeant: quia ſic fieri volumus, & ita nobis placet. Non obſtantibus quibuſcunque in contrarium facientibus.

SEQVITVR TENOR DICTARVM LITERARVM APOſtolicarum.

Tenor literarũ apoſtolicarum, quibus permiſſũ eſt regi nominare primum mẽſem.

LEo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſsimo in Chriſto filio Franciſco, Francorum regi chriſtianiſsimo, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dudũ ſiquidem inter alia cũ irritantis appoſitione decreti ſtatuimus & ordinauimus quòd ex tunc de cætero occurrentibus eccleſiarum cathedralium etiam metropolitanarum ac monaſteriorũ in regno Franciæ & Delphinatu ac comitatu Vieñ. & Valentineñ. conſiſtentium vacationibus dilecti filij eccleſiarum capitula, & monaſteriorũ conuentus, ad electiones ſeu poſtulationes futurorum archiepiſcoporum, epiſcoporum ac abbatũ ec-

archiepiſcoporum, epiſcoporum ac abbatum eccleſiarum & monaſteriorum vacantium pro tempore huiuſmodi procedere non valerent, ſed maieſtas tua ad eccleſias & monaſteria huiuſmodi ſic vacantia intra certum tunc expreſſi temporis ſpatium nobis & pro tempore exiſtenti Romano pontifici perſonas idoneas certo tunc expreſſo modo qualificatas, ad eãdem nominationem per nos & Romanum pontificem huiuſmodi eccleſiis & monaſteriis eiſdem pręficiendas nominare valeret, prout in noſtris inde confectis literis (in quibus inter alia, quòd primo menſe poſt earundem literarum acceptationem & publicationem, ordinarij collatores, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes & officia ad eorum collationem, prouiſionem nominationem, præſentationem, ſeu quanuis aliã diſpoſitionem ſpectantia graduatis ſimplicibus ſub certis modo & forma tunc expreſſis cõferre: & de illis etiam prouidere deberẽt cauetur) plenius cõtinetur. Quum autem (ſicut accepimus) propter diuerſa tribunalia plurium parlamentorum in regno, delphinatu, & comitatu pręd ictis conſiſtentia in quibus literas in eis cõſtitutas & expreſſas conſtitutiones publicari & acceptari diuerſis temporibus propter locorum diſtantiam oportet, ſuper primo menſe (qui ordinarijs collatoribus ad conferendum gradua-

tis conceditur)quis ſit, plures lites & diſpendia partium ſuper hoc exoriri contigere poſsit:nos litibus & diſpendiis huiuſmodi pro noſtri paſtoralis officij debito obuiare volentes & ne quis mẽſis ſit deinceps huiuſmodi, dubitari aut hęſitari contingat: maieſtati tuæ vt poſt publicationem & acceptationem literarum concordatorum huiuſmodi primum menſem huiuſmodi quis ſit exprimere & nominare poſsit & valeat: motu proprio & ex noſtra certa ſcientia auctoritate apoſtolica tenore pręſentium licentiam & facultatem concedimus,paritérq; indulgemus: non obſtãtibus ciuibus quæ in eiſdem literis voluimus non obſtare, cæteríſque contrariis quibuſcunq; . Datum Romæ apud ſanctum Petrum,Anno incarnationis dominicæ Milleſimo quingenteſimo decimooctauo: decimoſeptimo Calendas Iulij,pontificatus noſtri anno ſexto. Sic ſignatum ſupra plicam.Ia. Queſtemberg.In teſtimonio quorum his præſentibus ſigillum noſtrum duximus apponendum. Datũ Baugiaci,die vigeſimaquinta menſis Octobris, Anno domini Milleſimo quingẽteſimo decimooctauo: & regni noſtri quarto.Per Regem,Gedoyn. Lecta, publicata & regiſtrata Tholoſę in parlamento.xxij.Nouẽbris, Anno domini Milleſimo quingenteſimo decimooctauo. Michaelis.

QVA-

QVALITER REX FRANCIAE CONSTITVITVR ET ORDINATVR protector huiuſmodi concordati.

FRANCISCVS Dei gratia Francorum rex, Mediolani dux, & Genuę dominus. Vniuerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem. Cũ pro corroboratione, necnõ obſeruatione decretorum cõcordati per nos cum ſanctiſſimo domino noſtro papa Leone .x. initi, neceſſariũ ac vtile foret, vt à ſancta ſede apoſtolica illius concordati protectores conſtitueremur: vt vtroq; mucrone inſtitutis concordatorum nõ parentes ferirentur: literas apoſtolicas à iamdicta ſede apoſtolica obtinuimus, quorum tenor inferius deſcribitur, quibus illorum concordatorum protectio nobis cõceſſa eſt. Quocirca dilectis & fidelibus cõſiliariis noſtris parlamenta noſtra Pariſiis, Tholoſę, Burdegale, Rothomagi, Diuione, & Gratianopoli tenẽtibus, necnõ cęteris noſtris iuſtitiariis & officiariis mãdamꝰ & iniũgimus quatinus iuxta facultatẽ nobis cõceſſam eorũ cõcordatorũ infractores pœnis legitimis: & afficiãt ea q̃ in cõtrarium dictorũ cõcordatorũ attẽtauerint, reuocent, & in priſtinũ ſtatum reducãt ſeu reduci faciant: cõpeſcendo

Rex chriſtianiſsimus mandat omnibus iudicibꝰ obſeruare & obſeruari facere huiuſmodi cõcordatũ, puniẽdo infractores.

compeſcendos omnibus viis rationabilibus & debitis. Et vt nemo iam dictę noſtrę protectionis ignorantiam prætendere valeat: eas pręſentes publicare, & ĩ regiſtris ſuis regiſtrare faciãt indilatę: quoniá nobis ſic placet & ita fieri volumus, non obſtantibus quibuſcunque in contrarium facientibus.

SEQVITVR TENOR DICTARVM LITERARVM apoſtolicarum.

LEO epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſsimo in Chriſto filio Frãciſco, Francorũ regi chriſtianiſsimo, ſalutẽ & apoſtolicam benedictionem. Dudum ſiquidem inter alia cum irritantis appoſitione decreti ſtatuimus & ordinauimus ꝙ extũc de cætero occurrentibus eccleſiarũ cathedralium & metropolitanarũ ac monaſteriorum in regno Franciæ & Delphinatu, ac comitatu Vieñ. & Valentiñ. conſiſtentium vacationibus dilecti filij eccleſiarum capitula & monaſteriorũ conuentus ad electiones ſeu poſtulationes futurorum archiepiſcoporũ, epiſcoporũ, & abbatum, eccleſiarum & monaſteriorũ vacantiũ pro tempore huiuſmodi procedere nõ valerẽt, ſed maieſtas tua ad eccleſias & monaſteria huiuſmodi ſic vacantia

Rex chriſtianiſſimus cõſtituitur ꝓtector cõcordati.

cantia intra certum tũc expreſsi temporis ſpatium nobis & pro tempore exiſtenti Romano pontifici perſonas idoneas certo tunc expreſſo modo qualificatas ad eandẽ nominationẽ per nos & Romanũ pontificem huiuſmodi eccleſiis & monaſteriis eiſdem præficiendas nominare valeret,prout in noſtris inde confectis literis(in quibus maieſtati tuæ & pro tẽpore exiſtẽti Francorũ regi in virtute ſanctę obedientię ꝙ per te vel aliũ ſeu alios in dignitate eccleſiaſtica cõſtitutos eaſdem literas,ac omnia & ſingula in eiſdem contenta quando & quotiẽs opus foret publicari & inuiolabiliter obſeruari faceret mãdauimus) plenius continetur.Cũ autem (ſicut accepimus)nõnulli regni,delphinatus & comitatus prædictorũ à quorũ cordibus Dei timor abeſt: literas huiuſmodi & per eas editas cõſtitutiones, & in eis cõtenta plenè acceptare recuſent,& illis non ſine ſpiritu blaſphemiæ, & cenſurarũ in eis cõtentarum incurſu, verbo & opere ſi poſſent contrauenire contendant: nos ea quæ tanta maturitate conſilio & ſacri tunc vigentis Lateranenſi cõcilij approbatione diſcuſſa, ſtatuta, ordinata, facta & conceſſa ſunt,vt inuiolabiliter & incõcuſſę,prout par eſt obſeruentur, pro noſtri paſtoralis officio debito prouidere volentes quanquã aliis literis noſtris temerariis auſibus cõtrauenire nitentibus

occurrerimus eorúmq; ora obſtruxerimus,motu proprio & ex noſtra certa ſciẽtia,ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine cum deceat ſecularem poteſtaté præſertim magná,eccleſiaſticá iuuare poteſtaté, in his præſertim quæ animarum ſaluté concernunt: maieſtatem tuá & pro tempore exiſtenté Francorũ regem literarum prædictarũ, ac per eas editarum conſtitutionũ & omnium ac ſingulorũ in eis contentorũ legitimos protectores,defenſores, & cõſeruatores, necnon quorumuis aduerſus illas & in eis contenta venire tentantiũ cuiuſcunque dignitatis,ſtatus,gradus,ordinis, conditionis vel nobilitatis exiſtentium, ac quacunq; mundana dignitate fulgentium inuictiſsimos oppugnatores auctoritate apoſtolica tenore præſentium conſtituimus & deputamus. Non obſtantibus omnibus quæ in dictis literis voluimus nõ obſtare,cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud ſanctum Petrũ, Anno incarnationis dominicæ Milleſimo quingenteſimo decimooctauo, decimoſeptimo Calendas Iulij,pontificatus noſtri anno ſexto. Sic ſignatũ ſub plica. Io.Sadoletus. & ſupra plicá. Ia. Queſtemberg. In teſtimonium quorum his præſentibus ſigillum noſtrum duximus apponẽdum. Datum Baugiaci, die vigeſimaquinta menſis Octobris. Anno domini Milleſimo quingente-

ſimo decimooctauo,&regni noſtri quarto:per Regem, Gedoyn.

PROROGATIO TEMPORIS AD ANNVM AD CONSENtiendum per prælatos,&c.

FRANCISCVS Dei gratia Francorum rex, Mediolani dux,& Genuæ dominus. Vniuerſis præſentes literas inſpecturis notum ſit & manifeſtũ,quòd cum iamdudum à ſancta ſede apoſtolica certè literæ apoſtolicæ per nos obtentæ fuiſſent, quibus ſemeſtre intra quod nos & eccleſia Gallicana approbare debebam⁹ concordata inter ſanctam ſedem apoſtolicam & nos inita,per annum prorogatum extiterat: verum quia durante dicto anno aliis occupati negotiis dictam approbationem & confirmationem à prælatis & aliis perſonis ibidem expreſsis approbari ſeu confirmari minimè fecerimus: idcirco alias literas apoſtolicas ab eadẽ ſede obtinuimus, quibus annum iam dictum ad alium à fine illius computandũ denuò prorogare fecimus: prout in dictis literis(quarum tenor ſequitur)plenius continetur.

Prorogatio tẽporis ad cõſentiendũ per prælatos huiuſmodi cõcordatis.

REgo epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei chariſſimo in Chriſto filio Frãciſco, Francorũ regi chriſtianiſſimo ſalutẽ & apoſtolicam benedictionem. Dudum ſiquidem inter alia, cum irritantis appoſitione decreti perquaſdam literas ſtatuimus & ordinauimus quòd extunc de cętero occurentibus, eccleſiarum cathedraliũ & metropolitanarum, ac monaſteriorum in regno Frãcię & delphinatu, ac comitatu Viennẽſis etiam Valentinenſis, conſiſtentium vacationibus dilecti filij eccleſiarum capitula, & monaſteriorum conuẽtus, ad electiones ſeu poſtulationes futurorum archiepiſcoporũ, epiſcoporum, ac abbatum eccleſiarum & monaſteriorũ vacantium pro tempore huiuſmodi procedere non valerent, ſed maieſtas tua ad eccleſias & monaſteria huiuſmodi ſic vacantia intra certũ tunc expreſsi temporis ſpatium nobis & pro tẽpore exiſtenti Romano pontifici perſonas idoneas certo tunc expreſſo modo qualificatas ad eadem nominationem, per nos & Romanum pontificem huiuſmodi eccleſiis & monaſteriis eiſdem præficiẽdas, nominare valeret, ac voluimus quòd ſi maieſtas tua omnia in illis ſtatuta ordinata, conuenta, intra ſex menſes poſt tunc proximam

proximam futuram ſeſsionem Lateraneñ. concilij tunc vigentis nõ approbaret & confirmaret, & à prælatis & aliis tũc expreſsis regni tui approbari nõ faceret, literæ ipſæ nullius eſſent roboris vel momenti. Et deinde pro parte tua nobis expoſito quòd maieſtas tua propter varias occupationes quibus tunc implicitus eras, ac ex certis aliis rationabilibus cauſis intra dictum ſemeſtre intra quod tunc adhuc exiſtebas in dictis literis contenta per prælatos & perſonas regni tui huiuſmodi approbari facere commodè non confidebat: Nos per alias noſtras literas ſemeſtre prædictum intra quod tunc adhuc exiſtebas, ad annum à data poſteriorum literarum huiuſmodi cõputandum prorogauimus pariter & extendimus, prout in ſingulis literis prædictis plenius continetur. Cum autem (ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio cõtinebat) maieſtas tua literas priores prædictas iuxta voluntatem noſtram prædictã approbauit & cõfirmauit, & publicari fecit & approbari facere intendebat, feciſſetque niſi à literarum priorum editione ac tuis approbatione & confirmatione ac earũdem priorum literarum publicatione huiuſmodi temere appellatum fuiſſet: Et propterea nobis humiliter ſupplicari feciſti, vt annum prædictum intra quem adhuc exiſtis, ad alium annũ prorogare de be-

nignitate apoſtolica dignaremur : Nos itaque huiuſmodi ſupplicationibus inclinati annum prædictum intra quem adhuc maieſtas tua exiſtit, ad alium annum à fine primi anni huiuſmodi computãdum, auctoritate apoſtolica tenore præſentium prorogamus pariter & extendimus: non oſtantibus præmiſsis ac conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, necnon omnibus illis quę in prioribus & poſterioribus literis prædictis voluimus non obſtare, cæteríſque cõtrariis quibuſcunq;. Datum Romæ apud ſanctũ Petrũ, Anno incarnationis dominicæ Milleſimo quingenteſimo decimooctauo, ſexta Calendas Iulij, põtificatus noſtri anno ſexto. Quocirca dilectis & fidelibus conſiliariis noſtris curias noſtras parlamenti tenentibus, necnon ſeneſcalis, baliuis, præpoſitis, aliíſque iuſtitiariis & officiariis noſtris harũ ſeriè mãdamus & iniungimus quatinus has præſentes ſuis in regiſtris regiſtrent: vt ſi pro rebus & negotiis indies occurrentibus illis quis egere habuerit ex dictis regiſtris illas extrahere poſsit & valeat. Cui extracto debito modo facto talem fidem haberi volumus, ac ſi dictarum bullarum originale exhiberent. nam ſic nobis placet: & quatinus opus eſt ex noſtra certa ſcientia & poteſtatis plenitudine ita fore ordinamus. In cuius rei teſtimonium ſigil-

lum

lum noſtrum prſæentibus literis duximus apponendum, Datum Baugiaci, die viceſimaquinta menſis Octobris, Anno domini Milleſimoquingenteſimo decimooctauo, & regni noſtri quinto: per Regem, Gedoyn.

Lecta, publicata, & regiſtrata Tholoſæ in parlamento viceſimaſecunda Nouembris, anno domini milleſimo quingenteſimo decimooctauo. Michaelis.

Textus Pragmaticae Sanctionis, recèns emendatus, & ſummariis Magiſtri Coſmæ Guymier, vnà cum marginalibus annotatiunculis illuſtratus Ioannis Genderij Aurelij matura lucubratione.

CArolus 7. Totum prooemium diuiditur in ſex partes. In prima ponitur ſalutatio. In ſecunda profitetur ſe fore obligatum ad eccleſiam Dei, miniſtros eius, & ſancta decreta conſeruanda. Guy.

CAROLVS Dei gratia Francorum rex, vniuerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem. * Inſcrutabilis diuinæ altitudinis prouidentia, per quã reges regnant, rerũmq; publicarum gubernacula poſsidét, poteſtatem regiam ad hoc inter cætera ordinauit in terris, vt eccleſiam ſanctam pretioſo Chriſti ſangui-

Regalis ſalutatio.

* Secũda pars.

Regalis præcipua cura.

ne fundatam, eiúſque miniſtros fideliter protegeret atque tueretur: & ſanctorum antiquorúmque patrum decreta ſaluberrima ſpiritu Dei promulgata, quibus neruus diſciplinæ eccleſiaſticæ ſalutaríſque doctrinæ viget ac ſolidatur: ſincerę exequi faceret illibatæque obſeruari: ſed & ſpeciali debito iuramenti in noſtri dyadematis ſuſceptione inſigni & alias eccleſiæ regni & Delphinatus noſtrorum præſtiti ad idipſum aſtringimur pariter & obligamur.

Iuſiurandū regis in ſuſceptione dyadematis.

Tertia pars in qua narrat decreta concilij Baſilienſis per eiuſdem concilij nuntios ſibi & eccleſiæ Gallicanæ fuiſſe præſentata. Guy.

Cauſa Pragmaticæ ſanctionis.

Cum itaque diuina pietas his noſtris temporibus fideliū cordibus inſpirare dignata ſit, vt ſacroſancta generalis ſynodus eccleſiæ vniuerſalis in ciuitate Baſilienſis tam ex immediatè præcedentium ſacrorum Conſtantienſis & Senenſis cōciliorum generalium continuatione decretíſque & ordinatione, quàm duorum Romanorum Pontificum ſolenni conuocatione etiam & approbatione, ſcilicet fœlicis recordationis Martini quinti & Eugenij quarti moderni, ad excolendum dominici gregis agrum, reformandúmque debitè in capite & in membris ſtatum eccleſiaſticum, qui his diebus indigere videtur, abundante nequitia & frigeſcente hominum charitate coadunaretur

tur & celebraretur, vt repreſsis deformitatum ſcelerúmque regnantium enormitatibus pernitioſis, quæ in vniuerſam Chriſtianitatem ipſorúmque ſanctorum antiquorũ patrum contemptis ſpretíſque decretis & inſtitutis ſalutaribus, multas clades multáq; diſcrimina, proh dolor iniecíſſe viſæ ſunt: diuinus honor refloreret in terris, lumen catholicæ veritatis Chriſto vera luce largiente effulgeret, eccleſiaſticæ libertatis conſeruatio ſubſiſteret, & populus Chriſtianus ſalubriter regeretur, ac perduceretur in ſalutem. quæ quidem ſancta generalis ſynodus, huiuſmodi deformitates in eccleſia Dei paſsim in dies excreſcere & mores corruptiſsimos eandem inficere proſpiciens, cunctis palam curauit ingerere monita ſalutis, ac circa prædicta quãtum cum Deo potuit efficaciter prouidere, cõſiderãnſque ad hæc inter alia præcipua maximè cõuocatam adunatámque extitiſſe, certa decreta certáſque ordinationes & ſtatuta ſolennia fecit & condidit, quę per ſuos oratores & nuntios præcipuos nobis & eccleſię regni & Delphinatus noſtrorum antedictorum præſentari fecit & exhiberi. Nos plurima cum charitate & prælatos cæteróſque viros eccleſiaſticos ipſam noſtrorum regni & Delphinatus eccleſiam repræſentantes maxima cum inſtantia exhortando & obſecrã-

Natura ad malum prona.

Statuta ſolennia papæ.

Exhortatio ad introducēda ſtatuta papæ.

do, vt decreta ſtatutáque & ordinationes ab ipſa ſancta ſynodo præmiſſas ob cauſas facta & condita recipere vellemus, etiam & acceptare. Eadémque quātum noſtræ regiæ dignitatis intereſt per vniuerſum regnum noſtrum & delphinatum inuiolabiliter perpetuóque obſeruari facere dignaremur.

Quarta pars in qua narrat ipſos nuntios auditos fuiſſe ſuper prædictis in congregatione Bituris celebrata. Guy.

Quibus attēte conſideratis vt viam tutiorē ac Deo gratiorē eligere valeremus, habita ſuper his magni conſilij noſtri deliberatione per matura. Archieſpiſcopos, Epiſcopos, capitula notabilia, Abbates, Decanos, Præpoſitos, cæteróſque prælatos eccleſiaſticos, ac diuini & humani iuris magiſtros, doctores & ſcientificos viros vniuerſitatem ſtudiorum generalium, & alios de regno & delphinatu noſtris in maximo copioſóque numero apud nos in hac noſtra Bituricenſi ciuitate celebri, nuper conuocari fecimus & congregari. In qua quidem ſolenni congregatione in capitulo ſacroſanctæ capellæ noſtræ Bituricenſis celebrata præſidentes, aſſiſtētibus nobis primogenito noſtro chariſsimo Ludouico delphino Viennenſi, Carolo duce Borbonij, Charolo de Andegauia Cænomaniæ. Petro de Britania nepote, Bernardo comite

Dieta Bituricēſis.

Principes ſuperiores regni.

mite Marchiæ : Necnon Ludouico Vindocinij & Guillermo de Tanquaruilla comitibus conſanguineis noſtris pluribúſq; magnatibus proceribus & viris peritiſsimis eccleſiaſticis & ſecularibus, de magno cõſilio noſtro & aliis, ipſius præfati ſummi Pontificis, nec non & ſanctæ ſynodi generalis prædictæ ſolennes oratores ad nos deſtinatos ſuper his & aliis ſtatum eccleſię de plurimum concernentibus audiuimus attentæque audiri fecimus.

Oratoria ſũmi pontificis Bituri.

Quinta pars, quæ poteſt ſubdiuidi in tres particulas. In prima narrat ſibi ex parte eccleſię Gallicanæ fuiſſe propoſita bona quę procedunt ex obſeruatione decretorum ſanctorũ patrum ſuper electionibus & prouiſionibus miniſtrorum eccleſiaſticorum editorum. In ſecunda ponit mala prouenientia ex ambitione & auaritia. In tertia ponit quatuordecim inconuenientia quæ ſequuntur ex reſeruationibus & gratiis expectatiuis. Et ferè eadem habes, infra de collation. c. I. §. C V I R E I. Guy.

Quibus ad plenum auditis apertíſque luculentur & diſertè per plures prælatos ſacræ theologię & iurium doctores famoſiſsimos, & exinde plurium dierum interuallis diſcuſsis & diligenter pertractatis materiis pro parte eorundẽ & aliorum virorum eccleſiaſticorũ, ipſam noſtrorum regni & delphinatus eccleſiam repreſentantium, nobis tandem extitit expoſitum, quòd iidẽ zelo domus Dei ſacratiſsimo pignore ſanguinis proprij filij conſecratæ flagrantes

ad memoriam reducentes,& ante oculos ſuæ conſiderationis rouoluẽtes qualiter à primordio naſcentis eccleſiæ,in noſtris regno & delphinatu prædeceſſorum noſtrorum,prælatorũ, procerum atque fidelium ipſorum regni & delphinatus incolarũ,digne recollãda prioritas ad laudem & gloriã Dei, & ob diuini cultus augmentũ eccleſias & cenobia aliáq; loca religioſa erexit & conſtruxit,ipſasq; amplius dotauit, poſſeſsionibus& priuilegiis cõmuniuit:inſtituẽs in eis miniſtros idoneos qui ſuis tẽporibus fidẽ catholicã in ſubiectis ſibi linguis & populis fœliciter propagarũt: per quorum curã & ſollicitudinẽ virtuoſosq; progreſſus ac exẽpla ſalutaria Chriſti eccleſia decoratiſsimè adulta odoriferos fructus ac honeſtates ferẽs vſq; ad poſtremos occiduę regionis limites effloruit,ac velut ſidus lucidiſsimũ irradiauit,pulſisq; ꝓcul ignorãtię & errorũ tenebris,doctrinę ſuæ lumẽ pręclariſsimũ circũfulſit vbilibet.qualiter pręterea per ſanctos patres priorũ ſeculorũ plures ſacri canones & decreta ſaluberrima pro felici regimine ſtatus eccleſiaſtici tã ſup electionibus modíſq; ipſius eccleſiæ miniſtros aſſumẽdi,& inſtituẽdi ꝙ eorũ cæterorũ prælatorũ ſalutari directione cõditi ſunt etiã & promulgati: qui quãdiu obſeruati fuerũt eccleſia Dei fructus honoris honeſtatiſq; fœlici vbertate ꝓduxit,diſcipli

Fructus ſanctorũ decretorum.

næ

nę eccleſiaſticæ vigor pſtetit,religio,pietas,cha ritas vbertim efflorueruͤt, animi hominuͤ in pace,auctoreͤ pacis excolueruͤt,ſed prohdolor daͤnatæ ambitionis improbitas, & deteſtaͤdæ cupiditatis inſatiabilitas omniuͤ malorum radix,humanitatis iura violaͤs, ipſa ſalutifera ſanctorum antiquoruͤ patruͤ decreta paulatim cœpit deſerere etiaͤ & coͤtenere, pedetetimq; in vitia ruere. * Exinde ſubſecutę ſunt moruͤ corruptiones atq; deformationes,ſtatus eccleſiaſtici dehoneſtationes atq; decolorationes, vſurpationes grauiſsimę,intollerabiles interpriſię,& pręſertim p pręlaturaruͤ dignitatuͤmq; & alioruͤ beneficioruͤ eccleſiaſticoruͤ reſeruationes gratiaruͤ ad vacatura beneficia expectatiuaruͤ à iure valde exorbitantiuͤ,multiplicationes innumerabileſq; coͤceſsiones aliaq; grauiſsima & importabilia onera quib⁹ eccleſiæ eccleſiaſticæq; pſonæ noſtroruͤ regni & Delphinatus pręd ictoruͤ grauiter afflictæ oppreſſæ & ferè ad poſtremaͤ exinanitioneͤ redactę his diebus coͤſpiciuntur. * Naͤ eccleſiaruͤ & beneficioruͤ eccleſiaſticoruͤ ante dictoruͤ peculia manus occupaͤt indignoruͤ, & noͤnunq̄ exteroruͤ,& pleruͤq; dignitates ac beneficia notabiliora & oppulentiora perſonis coͤferuntur ignotis & noͤ pbatis, quę in eiſdeͤ beneficiis noͤ reſideͤt.Sicq; vultus ſibi coͤmiſsi gregis noͤ agnoſcuͤt, linguaͤ aliquaͤdo noͤ intelliguͤt: quinimmo

Radix malorū auaritia.

* Secūda pars.

* Tertia pars.

Beneficia indignis aliquādo cōferunt.

animarum cura neglecta velut mercennarij ſolummodo temporalia lucra quærunt. Sic dimittitur Chriſti cultus, animarum cura negligitur, ſubtrahitur hoſpitalitas eccleſiarum, iura depereunt, ruunt ædificia, populi deuotio attenuatur, clerici noſtrorũ regni & Delphinatus ſcientiis & virtutibus effulgentes, qui ad Chriſtianæ plebis ædificationẽ ſalutarem vacare poſſent, quíque pro regiis & eccleſiæ prædictæ regni & Delphinatus publicis conciliis forent opportuni: diuinarum & humanarum ſcientiarum ſtudia deſerũt propter promotionis cõgruè ſpem eis ablatam. Cæterum huiuſmodi reſeruationũ & expectationum, occaſione ingeritur votum mortis alienæ, animarum ſaluti nimium præiudiciabile, ſuſcitantur lites, infinitæ cõtentiones & rixæ inter Chriſti miniſtros oriuntur, rancores & odia plerunque implacabilia nutriuntur, fouetur pluralitatis beneficiorũ ambitio execrabilis, pauperes clerici innumeris perſonarũ & rerum diſcriminibus ſubiiciuntur, & per calumnioſos cauilloſoſque indebitè opprimuntur, beneficia prędeclarata per litium anfractus frequenter iniuſtè occupantur, & ſæpius inofficiata diutine relinquuntur, materia fouendis iniuſtis vexationibus paratur, abuſus peſtiferi horrenda ſpecie labis ſymoniacæ reſperſi committuntur, bonæ indolis iuuenibus qui virtuoſis

Incõmoda ex malis adminiſtratoribus rerũ eccleſiaſticarum.

Votum mortis captandæ.

Labes ſymoniæ.

ſis artibus intendere deberent, euagandi licentia præbetur, prælatis & cæteris ordinariis collatoribus ſuum ius atque myſterium aufertur, patronorũ iura eneruantur, indéque ſtatus eccleſiæ hierarchicus confunditur, plurimáq; aduerſus diuina & humana iura in animarũ perniciem, & eccleſiæ regni & Delphinatus noſtrorum ſæpedictorũ oppreſsionem, atque conculcationem committuntur, pariter & perpetrantur: ſicque iura coronæ noſtræ depereunt damnoſæ, & ipſorum noſtrum regni & Delphinatus theſauri in extraneas regiones aſportantur, ſub tali forſan coniectura vt eorũdem regni & delphinatus depreſſo ſacerdotio exhauſtóque theſauro regnũ ipſum cum Delphinatu reddatur debilius in aduerſis. Quæ omnia & ſingula & alia quàm plurima quæ ex præmiſsis ſequuntur incommoda, diuinæ haud dubiè credenda ſunt diſplicere voluntati: quinimmo in graue noſtri & eccleſiæ præfatæ noſtrorum regni & Delphinatus verſantur præiudicium atque detrimentum permaximum. Ipſi quoque prælati & cæteri viri eccleſiaſtici eccleſiam noſtrorum regni & Delphinatus repræſentantes pij eccleſiæ zelatores, matrem ſuam tot impuritatibus pollui ingemiſcentes, cognoſcentéſq; talia ſtimulantibus cõſcientiis abſq; grauiſsima Dei offenſa diutius diſsimulare non poſſe.

Sexta pars,in qua ponit acceptationem factam per eccleſiam Gallicanam de huiuſmodi decretis Baſilien. Guy.

Acceptatio ſynodi Baſiliẽſis ſub certis modificationib⁹

Cognoſcentes iidem prælati & cæteri viri eccleſiaſtici, eccleſiam prædictam noſtrorũ regni & Delphinatus repreſentantes,quòd ſuper prædictorum reparatione ſacræ ipſius Baſilienſis ſynodi decreta, prouiſionem congruentem videntur attuliſſe, præhabita inter eos multimoda diutináque apertione,diſcuſsione atque digeſtione memorata ipſius ſacræ Baſiliẽſis ſynodi decreta ordinatiões & ſtatuta aliqua ſimpliciter vt iacent. Alia verò cum certis modificationibus & formis non hæſitatione poteſtatis & auctoritatis condentis & promulgantis ipſius ſcilicet ſacræ Baſilienſi ſynodi:ſed quatenus commoditatibus temporibus & moribus regionum & perſonarum ſæpefactorum noſtrorum regni & Delphinatus congruere conueniréque cõgruè iuréq; conſpexerunt, prout inferius annotatur & inſeritur ilico & indilatè recipienda conſenſerunt, & acceptanda deliberauerunt. Quorum quidem decretorum tenor ſequitur.Et primo decretum per ſacroſanctum Conſtantienſe concilium factum & conditum, & per ſacrum generale concilium Baſilienſe renouatum.

De auctoritate & poteſtate ſacrorum generalium

neralium conciliorum, temporibúſque & modis eadem conuocandi & celebrandi.

Hoc decretum diuiditur in quatuor partes. In prima ponitur breue exordium continens cauſſam decreti, Cæteræ partes patent in locis ſuis. Guy.

CAPVT I.

FREQVENS generaliũ conciliorum celebratio agri dominici præcipua cultura eſt, quæ vepres, ſpinas & tribulos hæreſum, errorum & ſchiſmatũ extirpat, exceſſus corrigit, deformata reformat, & vineam domini ad frugem vberrimæ fertilitatis adducit, illorum verò neglectus præmiſſa diſſeminat atque fouet, hæc præteritorum temporum recordatio, & præſentium conſideratio ante oculos noſtros ponunt. Decreti ratio.

Secunda pars, quæ ponit decretum Conſtãtienſis concilij renouatum per Baſilienſe concilium ſuper celebratione conciliorũ generalium de certo termino in alium terminum. Guy.

Quapropter, hoc edicto perpetuo ſancim⁹, decernimus atque ordinamus vt à modo generalia concilia celebrentur. Ita ꝙ primum à fine huius concilij, in quinquennium immediatè ſequens. Secũdum verò à fine illius immediatè ſequentis concilij in ſeptennium, & deinceps Termini conciliorum.

de decennio in decennium perpetuo celebrentur in locis quæ ſummus Pontifex per menſem ante finē cuiuſlibet concilij approbante & cōſentiente concilio, vel in eius delectum ipſum cōcilium deputare & aſsignare teneatur, vt ſic per quandam continuationem ſemper aut cōcilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur.

Tertia pars, quæ ponit limitationem circa termini moderationem & mutationem loci conciliorū. Guy.

Quem terminum liceat ſummo Pōtifici de fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinaliū conſilio ob emergentes fortè caſus abbreuiare, ſed nullatenus prorogetur. Locū autem pro futuro concilio celebrando deputatū abſque euidenti neceſsitate non mutet. Sed ſi fortè aliquis caſus neceſſarius occurrerit, quo neceſſarium videretur ipſum locum mutari, puta obſidionis guerrarum, peſtis, aut ſimilis: tūc liceat ſummo Pontifici de prædictorum fratrū ſuorum cōſilio, aut duarum partium ipſorum conſenſu atque ſubſcriptione, alium locū prius deputato loco viciniorem & aptum, ſub eadē tamen natione ſubrogare, niſi idem vel ſimile impedimentum per totam illam nationem vigeret: tunc ad aliquem alium viciniorem alterius nationis locum aptum huiuſmodi concilium

Moderamen ob cauſam loci aſsignationis.

lium

lium poterit conuocari,& ad quem prælati alij qui ad concilium ſolent cõuocari accedere teneantur,ac ſi à principio locus iſte fuiſſet deputatus.quam tamen loci mutationem vel termini abbreuiationem per annum ante præfixum terminum teneatur ſummus Pontifex legitimè & ſolenniter publicare & intimare, vt ad ipſum concilium celebrandum prædicti poſsint ſtatuto tempore conuenire.

Quarta pars,quæ ponit aſsignationem pro futuro concilio in ciuitate Baſilea celebrando. Guy.

Atque pro ipſius executione decreti,ciuitas Papiæ apud Italiam fuit electa pro concilio generali in fine tunc proximè ſequentis concilij quinquennij celebrando , quòd quidem concilium ſuo tempore debito in dicta ciuitate Papiæ extitit celebrari inchoatum, & inde certis ex cauſis ad ciuitatem Senenſem tranſlatum, in quo quidem generali cõcilio Papiæ inchoato & in ciuitate Senenſi celebrato,hęc Baſilienſis ciuitas pro celebratione,tunc futuri concilij generalis poſt ſeptennium à fine ipſius Senenſis concilij celebrandi fuit electa & debitè aſsignata, vt conſtat in inſtrumẽto publico inde facto. Item aliud decretum cuius tenor ſequitur.

Aſsignatio cõcilij primo Papiæ facto.

In concilio Senẽſi aſſignatio facta Baſileæ.

Præſens decretum diuiditur in quinque partes. In prima ponitur cauſa declarationis.& declaratio qualiter ſynodus Baſilienſis fuit ritè & legitimè in

ciuitate

ciuitate Baſilea congregata. Cæteræ partes patēt in locis ſuis. Guy.

CAPVT II.

Cauſæ ſynodi Baſilienſis.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſilienſis, eccleſiam militantem repreſentans, ad perpetuam rei memoriã; ad laudem Dei omnipotentis, ac benedictę indiuiduæque Trinitatis gloriam & honorẽ. Pro hæreſum atque errorum extirpatione, morũ in capite & in membris eccleſiæ Dei reformatione, ac regum atque regnorum cæterorúmque chriſticolarum ad inuicẽm auctore diſcordiarum procurante, diſsidentium pacificatione, in ſpiritu ſancto legitimè cõgregata, decernit, ſtatuit, & diffinit, declarat, & ordinat, vt ſequitur.

Auctoritas Baſiliẽſi decreto.

Et primo quòd eadem ſacra Baſilienſis ſynodus ſacri Conſtantienſi & Senenſi generalibus conciliis decernentibus atque ordinantibus, & auctoritate apoſtolica interueniente fuit, & eſt in hoc loco Baſiliẽſi debitè legitiméque atque ritè nuntiata & aggregata, & ne de eiuſdem ſacræ Baſilienſis ſynodi poteſtate à quoquam dubitetur, ipſa eadem ſynodus duas declarationes ex decretis ſynodi Conſtantienſis in præſenti ſeſsione aliis ſuis decretis editis ſeu edendis inſerendas ordinauit & decreuit. Quarum

quidem

quidem declarationum tenor primæ ſequitur, & eſt talis.

Secunda pars, in qua declarat ipſam ſynodũ poteſtatem habere à Chriſto: & quòd omnes ei obedire tenentur in tangentibus fidem, extirpationem ſchiſmatis, & reformationem morum in eccleſia Dei. Guy.

Et primo declarat quòd ipſa ſynodus in ſpiritu ſancto legitimè congregata, generale concilium faciens & eccleſiam militantem repreſentans, poteſtatem à Chriſto habet immediatè. Cui quilibet cuiuſcunque ſtatus, conditionis, vel dignitatis, etiam ſi papalis exiſtat obedire tenetur, in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis, & generalé reformationem eccleſię Dei in capite & in membris. Synod⁹ à Deo habet poteſtatem.

Alteríus verò ſequitur tenor in hæc verba.

Tertia pars, in qua declarat eidem ſynodo pertinaciter nolentes obedire puniendos. Guy.

Item declarat quòd quicunque, cuiuſcunque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi papalis exíſtat, qui mandatis, ſtatutis ſeu ordinationibus aut pręceptis huius ſacræ ſynodi & cuiuſq; alterius concilij generalis legitimè congregati ſuper præmiſsis ſeu ad ea pertinentibus factis vel faciendis, obedire contumaciter contempſerit, vel contraire præſumpſerit, niſi reſipueit, condignæ pœnitentiæ ſubiiciatur & debitè Contemptor ſynodi puniendus.

puniatur etiã ad alia iuris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo.

Quarta pars, in qua declarat ipſam ſynodum nõ potuiſſe per quemcunque diſſolui: aut ad alium locum transferri. Guy.

Præmiſsis igitur & nonnullis aliis Conſtantienſis concilij (præſertim capituli quod incidit FREQVENS in priori huius ſacræ ſynodi Baſilienſis ſeſsione recitati) decretis attentis prælibata ſynodus Baſilienſis decreuit & declarauit quòd ipſa pro hæreſim extirpatione ac morum generali reformatione eccleſiæ in capite & in membris, necnon pace inter chriſtianos procuranda: vt præmittitur in ſpiritu ſancto legitimè cõgregata per nullum quauis auctoritate, etiã ſi papali dignitate præfulgeat diſſolui, aut ad alium locum transferri, ſeu ad aliud tempus prorogari potuit aut debuit: debet aut poteſt, debebit aut poterit, in futurum abſque eiuſdẽ ſynodi Baſilienſis deliberatione & conſenſu.

Stabilitas ſynodi Baſilienſis.

Quinta pars, in qua ponũtur verba & acceptatio eccleſiæ Gallicanæ. Guy.

Acceptauit & acceptat prout iacent iam dictorum prælatorum, cæterorúmque virorum eccleſiaſticorum ipſam eccleſiam repræſentantium congregatio ſæpedicta.

Acceptatio ſynodi ab eccleſia Gallicana.

Item acceptat decreta de electionib⁹, quorum primum incipit.

Sicut in cõſtruenda, Quia præſens decretum eſt

prolixum

prolixum diuidere per. §. Et primo vſq; ad. §. Et cum humanæ. Diuiditur in ſeptem partes. In prima ponitur cauſa cōſtitutionis: & ipſa iuris veteris cōſtitutio ſuper electione prælatorum. In ſecunda ponitur caſſatio generalis reſeruationis beneficiorū electiuorum duobus caſibus exceptis. In tertia ponitur ſtatutum de prouidendo beneficiis electiuis per electionem. In quarta conſeruat ſtatuta, priuilegia & cōſuetudines eccleſiarum rationabilia & poſtulationes. In quinta excipitur tertius caſus quo reſeruatio permittitur. In ſexta ordinat quòd Papa in ſui aſſumptione habeat iurare huiuſmodi decreta obſeruare. In ſeptima hortatur electores vt dignos eligant cum comminatione pœnæ ſi indignos elegerint. Guy.

S*ICVT in conſtruenda domo præcipua eſt architectoris cura vt tale iaceat fundamentum ſuper quod firmum perduret ædificium. Ita in generali eccleſiæ reformatione potiſsimū eſt huius ſanctæ ſynodi ſtudiū, vt tales eccleſiæ præficiantur paſtores, qui tanquam columnæ & baſes ipſam eccleſiam doctrinæ & meritorum viribus firmiter ſuſtētent. Quanta autem in eligendis prælatis diligentia adhibenda ſit, officiū eis iniunctum euidenter oſtendit. Ad regimen enim aſſumuntur animarum, pro quibus dominus noſter Ieſus Chriſtus mortuus eſt, & ſanguis eius pretioſus effuſus. Propterea ſacri canones ſpiritu Dei promulgati, prouide ſtatue-

* Primū decretū.

Argumētum à ſimili.

Ad quos pertinet electio p̃lati. runt, vt vnaquæque eccleſia aut collegium, ſeu conuentus ſibi prælatum eligant.

*Apẽdix & pars ſecunda. * Quibus hæc eadem ſynodus eodem ſpiritu congregata inhærens, ſtatuit & diffiniuit generalem reſeruationem omnium eccleſiarum metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum & monaſteriorum, ac dignitatum electiuarum per Romanum pontificem de cætero fieri, aut factis vti non debere reſeruationibus in corpore iuris clauſis, & his quas in terris Romanæ eccleſiæ ratione directi ſeu vtilis domini mediatè vel immediatè ſubiectis fieri contigerit ſemper exceptis.

Reſeruatio duæ.

* Tertia pars. * Sed quòd per electiones & confirmationes canonicas ſecundum iuris communis diſpoſitionem prædictis metropolitanis, cathedralibus, monaſteriis, collegiatis, eccleſiis & dignitatibus electiuis vacantibus, debitè prouideatur.

* Quarta pars. * non derogando propterea ſtatutis, priuilegiis, & conſuetudinibus rationabilibus quibuſcunque poſtulationibus in diſpoſitione iuris communis remanentibus. Decreuitque hæc ſancta ſynodus rationi fore conſentaneum & Reipublicæ accommodum, vt contra hoc ſalutare decretum Romanus pontifex nihil attentaret, niſi ex magna rationabili & euidenti cauſa in literis apoſtolicis nominatim exprimenda. Et vt eo firmius hoc ſalubre decretum cuſtodiatur, vult

eadem

eadem ſynodus, vt inter alia quæ Romanus pontifex in ſua aſſumptione profitebitur, iuret hoc decretum inuiolabiliter obſeruare.

Et quoniam tales, vt prædictum eſt, oportet eſſe prælatos, hi ad quos pertinet ius eligendi omnem curam adhibeant, vt dignam coram Deo & hominibus electionem faciant, exactámque proinde apponãt ſollicitudinem, vt tales eligant qui tanto officio valeant ſatiſfacere. ſcientes quòd ſi vel doloſè vel negligenter ac timore domini poſtpoſito, in re tam graui ſe geſſerint ſicut auctores erunt in cauſa malorum paſtorum, ita participes fiant pœnarum quas ipſi mali paſtores in diſtricto Dei iudicio patientur. Cura electionis p̄latorum.

Hic. §. legitur vſque ad. §. DEINDE. & diuiditur in tres partes. In prima ponuntur tres ſolennitates obſeruandę in electionibus, videlicet, Auditio miſſæ ſancti ſpiritus, communio Euchariſtiæ, & forma iuramenti. In ſecunda vult dictas ſolennitates obſeruari per procuratorem ad eligendum. In tertia non obſeruantes priuat poteſtate eligendi. Guy.

Et cum humanæ fragilitatis conatus nihil ſine Dei omnipotẽtis ſuffragio queat efficere, à quo omne datum optimum & omne donum perfectũ deſcendit, adueniente die electionis, hi ad quos põtificis vel abbatis ſpectat electio, in eccleſia conueniant magna cum deuotione miſſam de ſpiritu ſancto audituri, quę humiliter Prima ſolẽnitas in electione.

exorabunt vt eos ad dignum eligendum paſtorem inſpirare dignetur, & vt eo facilius gratiã hanc obtinere mereãtur, quo deuotus ad actũ electionis accedant contriti & confeſsi ſacramentum Eucharistiæ reuerenter ſuſcipiant. Ad locum verò electionis ingreſsi pro quocunque prælato qui per electionem aſſumitur, iurabũt in manibus eius qui capitulo præſidebit: & ipſe præſidens in manibus eum immediatè ſequentis ſub hac forma. Ego N. iuro & promitto omnipotenti Deo, & ſancto vel ſanctæ ſub cuius vocabulo dedicata eſt hæc eccleſia, eum eligere quem credam futurum eſſe in ſpiritualibus & tẽporalibus vtiliorẽ: nec illi vocẽ dare quem veriſimiliter ſciuero promiſsione aut datione alicuius rei temporalis, ſeu prece per ſe, aut per alium interpoſita, aut alias qualitercunque directè vel indirectè pro ſe electionem procurare. * Idemque iuramentum præſtet, confiteatur, & communicet qui conſtituit procuratorem ad eligendum certam perſonam: necnon & procurator generalis ad eligendum conſtitutus in caſibus in quibus ſecundum iuris communis diſpoſitionem in huiuſmodi electionis negotio procurator cõſtitui poteſt. Quod etiã iuramentum præſtetur ab his in quos continget ſuper electione futuri prælati fieri compromiſſum, qui etiam confiteri & cõmunicare teneantur.

Secũda ſolennitas.

Tertia ſolennitas.

Forma iuramẽti in electione.

* Secũda pars.

Procurator ad eligendum.

teneantur. * Quòd ſi prædicta nõ fecerint pro illa vice iure eligendi ſint ipſo facto priuati. * Tertia pars.

Hic. §. legitur vſque ad. §. AD TOLLENDVM. & diuiditur in tres partes. In prima dicit quatuor eſſe requirenda in eligendo, ſcilicet ætatem legitimam, mores, ſciẽtiam, & ſacrum ordinẽ. In ſecunda punit eligentes indignum. In tertia punit ſymoniacæ electos. Guy.

Deinde eligant in præfatum prælatum virum ætatis legitimæ, moribus grauem, literarum ſcientia præditum, in ſacris ordinibus conſtitutum, & aliàs idoneum ſecundum canonicas ſanctiones. * Quòd ſi aliter, & de alia perſona quàm vt dictum eſt, aut per ſymoniacam prauitatem electionem fieri contigerit electio ſit ipſo iure irrita & inanis: & ſic ſymoniacæ eligentes præter alias pœnas perpetuo ſint ipſo iure eligendi priuati. Aliis verò canonicis pœnis ſubiaceant. * Symoniacæ autẽ electi & qui huiuſmodi ſymoniacę electionis participes fuerint, canonicè puniantur: talitérque eligentes & confirmati in horrorem tanti criminis, pœnam ipſo facto excommunicationis incurrant: nec à tali reatu & excommunicatione electi & confirmati abſolui poſsint, niſi eccleſiis & dignitatibus ad quas turpiter aſſumpti ſunt, libere reſignauerint, & ad eas obtinendas quas nefario ingreſſu adepti ſunt perpetuo reddantur inhabiles.

Quatuor in eligendo requiſita.

* Secũda pars.

Electores ſymoniaci priuantur beneficio electionis.

* Tertia pars.

Electi ꝑ ſymoniã excõmunicantur.

Hic.§.legitur vſque ad.§.FACTA AV-TEN.&diuiditur in duas partes.In prima exhortatur principes & quoſcunque ne precibus vel minis liberas electiones impediant. In ſecunda præcipit electoribus, ne ad huiuſmodi preces vel comminationes quenquam eligant. Guy.

Princeps ne impediat liberam electionem.

Ad tollendum autem omnē ambitionis radicem, obſecrat per viſcera miſericordiæ Dei Ieſu Chriſti hæc ſancta ſynodus, ac inſtantiſſimè exhortatur reges & principes, communitates & alios cuiuſcunque gradus vel dignitatis exiſtant, eccleſiaſticæ vel mundanæ, ne electoribus literas ſcribant aut preces porrigant, pro eo qui per ſe vel alium, preces tales vel literas procurabit. Multóque minus comminationes, impreſsiones, aut aliud faciant quominus liberè ad electionem procedatur.

* Secūda pars.

Electores precibus ne eligēt.

* Similiter in virtute ſanctę obedientiæ ipſis electoribus præcipitur, ne ad huiuſmodi literas, vel preces, vel comminationes, vel impreſſiones, aut alias vt præmittitur quenquam eligere præſumant.

Hic.§. vſque ad finem decreti tractat de confirmatione electionis, & diuiditur in ſex partes. In prima ponitur modus in confirmatione electionum ſeruandus. In ſecunda prohibetur confirmatori aliquid accipere occaſione confirmationis. In tertia notariis & aliis ſcribentibus in cauſa confirmationis, moderatum ſalarium reſeruatur. In quarta punit confirmantes indignos, aut ſymo-

niacæ

niaeæ,aut ſine ſolennitate. In quinta Romanus pontifex exhortatur ne pro confirmatione electionum aliquid exigatur aut recipiatur. In ſexta pro oneribus eccleſiæ Romanę ſupportandis, pollicetur ſynodus prouidere. Guy.

Facta autem electione & ei ad quem ius pertinet cõfirmandi præſentata, ſi appareat coelectus, vel ſe opponens electioni, nominatim vocetur ad videndũ diſcuti negotium electionis: & nihilominus generaliter edictum publicum in eccleſia, in qua facta eſt electio proponatur, iuxta conſtitutionem fœlicis recordationis Bonifacij papæ octaui. C. quoniã de elect. lib. 6.

* Comparentibus autem aliquibus vel non, ipſe confirmator nihilominus ex officio tanquam in negotio inquiſitionis procedat omnem adhibiturus diligentiam, vt tam forma electionis quàm merita electi & omnes circunſtantiæ debitè examinentur, & diſcutiantur, vt ſi electio confirmanda ſit vel infirmanda, iudicialiter confirmetur, vel infirmetur. Et vt omnia mundę fiant & ſine labe ac labiis ſuſpitione procedant, non ſolùm exigere aliquid quantumcunque paruum, ſed etiam gratis oblata, confirmator ratione confirmationis, ſub nomine ſubuentionis, ſubſidij, gratitudinis, aut alio colore, prætextu cuiuſ- * Secũda pars. Cõfirmator ꝓ cõfirmatione nihil recipit.

uis conſuetudinis aut priuilegij per ſe vel per alium nullatenus recipere præſumat. *Notariis autem & his qui ſcripſerunt in huiuſmodi cauſis emolumentum aliquod moderatum taxetur, habendo reſpectum ad laborem & operam ſcripturę, non ad fructuum prælaturæ valorem. * Si verò cõfirmatores prædicti, electiones non ſeruatis ſuperius ordinatis & expreſſis, & de ꝑſonis nõ idoneis vt præmittitur factas, vel aliàs per ſymoniacã prauitatẽ confirmauerint eo ipſo cõfirmationes huiuſmodi ſint nullę. Cõfirmantes autẽ alias perſonas q̃ vt ſupradictũ eſt pro ea vice per ſymoniacã prauitatẽ, aut labẽ perpetuo ipſo facto iure confirmandi ſunt priuati. Et nihilominus propter dictam ſymoniacam labem, ſi eam commiſerint, etiam ſententiam excommunicationis incurrant eo ipſo: à qua niſi per Romanum Pontificem, prę terquam in mortis articulo abſolutionis beneficium obtinere non poſſunt. *Summum verò Pontificem hęc ſancta ſynodus exhortatur, vt cum ſpeculum & norma omnis ſanctitatis & munditiæ eſſe debeat, pro confirmatione earũ electionum quas ad eum deferre contigerit, nihil penitus exigat aut recipiat, alioquin ſi ſecus faciendo notoriè & incorrigibiliter eccleſiam ex hoc ſcandalizet, futuro concilio deferatur.

* Pro oneribus autẽ quæ ipſum ꝓ regimine vniuerſalis

* Tertia pars.

Emolumentũ notariorum moderatum.

* Quarta pars.

Cõfirmatoris indigni pœna.

* Quinta pars.

Exhortatio pia ad confirmatores.

* Sexta pars.

vniuerſalis eccleſiæ ſubire oportet, próque ſuſtentatione ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium, & aliorum notariorum, officialium, hoc ſacrum concilium ante ſui diſſolutionem omnino debitè & congruenter prouidebit. Quòd ſi contingat aliquem circa hęc prouiſionē non facere, per hoc eadem ſancta ſynodus non intendit in aliquo præiudicare ſanctæ Romanæ & vniuerſi eccleſię nec alteri cuicunq;. Datum Baſileæ in maiori eccleſia, in ceſsione publica celebrata, Anno domini Milleſimo quadrageſimo trigeſimotertio, tertij idus Iulij.

Itē aliud decretū incipiēs LICET DVDVM.

Hoc decretū legitur vſque ad. §. Cenſuit tamē, & diuiditur in tres partes. In prima ponitur cauſa conſtitutionis, & damnantur generales & particulares beneficiorum electiuorum reſeruationes. In ſecunda ponitur cōſtitutio ſuper faciendis electionibus & confirmationibus ſine aliquo impedimento. In tertia vult electionem canonicam reiectam per Papam ex iuſta cauſa remitti ad eligentes. Guy.

CAPVT III.

LICET dudum hæc ſancta ſynodus abolita per eā generali omniū eccleſiarū & dignitatū electiuarū reſeruatione, ꝓuide decreuit, vt prędictis eccleſiis & dignitatib⁹ ꝑ canonicas ele-

ctiones & confirmationes prouideri deberet: volens etiam ſpeciales ſeu particulares ipſarū eccleſiarum & dignitatum electiuarum prohibere reſeruationes, per quas libera in eiſdem eligendi & confirmandi facultas impediri poſſet. quódq; aduerſus hoc decretum Romanus Pōtifex nihil attentaret, niſi ex magna rationabili & euidēti cauſa in literis apoſtolicis nominatim exprimenda, quia tamen cōtra ipſius decreti mentē, non pauca ſine huiuſmodi cauſa geſta ſunt, vnde grauia hactenus ſucceſſerunt, & grauiora in dies timentur ſcandala. Cupiens hæc ſancta ſynodus his obuiare, volēs vt ipſius decreti mens quæ fuit omne obſtaculum à canonicis electionibus & confirmationibus tollere, ſuo non fruſtraretur effectu. * Statuit vt electiones in dictis eccleſiis ſine impedimento aut obſtaculo omnino fiant. Quæ cauſa cognita, iuxta iuris communis & dicti noſtri decreti diſpoſitionem confirmentur. * Veruntamen ſi fortè aliquando contingat electionem aliquam etiā aliàs canonicam fieri, quæ in perturbationem eccleſiæ aut patriæ vel boni publici vergere timeatur, ſummus Pontifex cum ad ipſum cōfirmatio delata fuerit, ſi talem vrgentiſsimam cauſam adeſſe cognouerit, ea prius maturè diſcuſſa ac parte plenè defenſa, attendente poſtea Romanæ eccleſiæ cardinalium, aut

Cōfirmatio prioris ſynodi.

* Secūda pars.

Cōfirmatio debet fieri cauſa cognita.

* Tertia pars.

Electiōe caſſa p papā electores tenēt denuo eligere.

aut maioris partis ſubſcriptione, huiuſmodi cauſſam veram ſufficientémque fore atteſtantium, reiecta tali electione ad capitulum vel cōuentū remittat, vt infra tēpus iuris vel aliàs iuxta loci diſtantiā, ad aliam ex qua talia euenire non formidentur electionem procedant.

Hic. §. vſque ad finem diuiditur in duas partes. In prima ponitur conſtitutio eccleſiæ Gallicanæ, quòd Papa remittat promouēdos ab ipſo vel eius auctoritate ad immediate ſuperiorem, niſi ſint præſentes in curia, & ibi velint conſecrari: quo caſu etiam remittat ad ſuperiorē præſtituros iuramentum obedientiæ, & punit contra facientes. In ſecunda, credit nō eſſe reprehenſibile ſi rex & principes regni aliquando vtantur precibus benignis ac beniuolis pro perſonis benemeritis. Guy.

Cenſuit tamen præfata congregatio quòd ſummus Pōtifex habeat remittere vnūquēque per ipſum aut ipſius auctoritate vt præmittitur promouendū, ad ſuum immediatum ſuperiorē pro munere conſecrationis aut benedictionis ab eo, vel eius auctoritate cōſequendo, niſi dictus promotus ſit præſens in curia, & velit ibi conſecrari: & nihilominus conſecratos aut benedictos in curia Romana remittat ad eorum immediatè ſuperiores, præſtituros eis aut ipſis abſentibus eorum vicariis debitæ obedientiæ iuramentum. quòd ſi quis præſumat recipere munus conſecrationis vel benedictionis extra curam etiam in vim cuiuſ-

Conſtitutio eccleſiæ Gallicanæ.

Promouēdus ad immediatum ſuperiorem tenetͤ accedere.

Apēdix.

cunque commiſſionis apoſtolicæ ab alio quàm à ſuo immediato ſuperiore vel eius auctoritate incurrat pœnam centum aureorum mediatim applicandorum ordinario & fabricæ eccleſię ordinarij:ceſſante omni diſpenſatione qualicunque in contrarium.

* Secũda pars.

*Item nec credi ipſa congregatio Bituricenſis fore reprehenſibile ſi rex & principes regni ſui, ceſſàntibus tamen omnibus comminationibus & cuiuſlibet violentiis,aliquando vtantur precibus benignis atque beniuolis, & pro perſonis benemeritis & zelantibus bonum rei publicis regni & delphinatus.

Rex pro benemeritis poteſt ſupplicare.

Item acceptat decretum de reſeruationibus quòd incipit.

DE RESERVATIONIBVS.

Omnes reſeruationes generales & ſpeciales beneficiorum electiuorum & collatiuorum damnantur duobus caſibus exceptis. Guy.

Abolitio reſeruationũ papalium.

ET QVIA multiplices eccleſiarum & beneficiorũ hactenus factæ p ſummos Põtifices ſunt reſeruationes, quæ non parũ eccleſiis oneroſæ extiterũt, ipſas omnes tã generalesq̃ ſpeciales,ſiue particulares de quibuſcunq; eccleſiis & beneficiis, quibus tam per electionem quàm per collationem aut aliã diſpoſitionem prouideri ſolet, ſiue per extra-

uagantes

uagantes ad regimen, & execrabilis, ſiue per regulas cancellariæ aut alias apoſtolicas conſtitutiones introductas, hæc ſancta ſynodus abolet. * Statuens vt de cætero nequaquam fiant, reſeruationibus in corpore iuris expreſſe clauſis: & his quas in terris Romanæ eccleſiæ ratione directi ſeu vtilis dominij, mediatè vel immediatè ſubiectis, fieri contigerit dũtaxat exceptis. Item decretum de collatione beneficiorum ſub modificationibus & declarationibus ſequentibus acceptat congregatio: quod quidem decretum incipit.

* Secũda pars.

Exceptæ duæ reſeruationes.

DE COLLATIONIBVS.

Hoc decretum factum fuit poſt diſſolutionem & tranſlationem concilij Baſilienſis Ferrariam. Et quia eſt prolixum, legitur vſque ad. §. SEQVVNTVR. & diuiditur in ſeptem partes. In prima exordiendo dicit generalia concilia poteſtatem habere immediatè à Chriſto, & omnes eidem ſubeſſe in tangentibus fidem, ſchiſmatis extirpationem & morum reformationem. Cæteræ partes patent in locis ſuis. Guy.

PLACVIT diuinæ pietati hoc tempore animos hominum qui variis abuſibus irretiti cœperant, vehementius excitare, vt ſalus quæreretur cũctorum: & per ſynodum vniuerſalem mores eccleſiæ in melius reformarẽtur, cum ſalutari directione capitis & membrorum

Conciliũ ad reuocãdos abuſus eccleſiæ.

in viam iuſtitiæ & ſanctitatis, & quòd vt facilius atque ordinatius fieret, & ne ſub prætextu variarum opinionum: aut Romani Pontifices, aut alij quicunque non ſatis vniuerſalibus concilijs obedirẽt, prædiſpoſuit eadem diuina pietas in ſacro Cõſtantienſi concilio, ſynodorum vniuerſalium iuriſdictionem ita declarari, vt nulli relinqueretur ambigẽdi occaſio, cum decreto ſolenni diffinitum extitit, vniuerſale concilium habere auctoritatem immediatè à Christo, cui quilibet cuiuſcunque ſtatus & dignitatis etiã ſi papalis fuerit, obedire tenetur in his quæ pertinẽt ad fidem & extirpationem ſchiſmatis, & reformationem eccleſiæ Dei in capite & in membris, ac pertinentibus ad ea.

Auctoritas generalis cõcilij à Christo immediatè.

Secunda pars, in qua intendit concilium prouidere ſuper inſtitutione miniſtrorum idoneorum in ſingulis eccleſiis. Guy.

Dum autem hæc cura reformandæ eccleſię huic ſanctæ vniuerſali ſynodo Baſilienſi incumbit, hoc vnũ ſingulari ſollicitudine proſequendum arbitratur: vt per ſingulas eccleſias miniſtri inſtituantur idonei, qui ſcientiis & virtutibus effulgeant ad Chriſti gloriam, & vniuerſi populi chriſtiani ædificationem ſalutarem.

Qui debẽt eligi.

Tertia pars, in qua ponitur cauſa prohibitionis gratiarum expectatiuarum cum enumeratione quatuordecim inconuenientium ex ipſis prouenientium. Guy.

Cui rei graue impedimentum hactenus afferre

ſerre viſa eſt, gratiarum expectatiuarum multitudo, quæ grauem ordini & ſtatui eccleſiaſtico perturbationem, variáſque inordinationes ac plurima diſcrimina comperitur inieciſſe. Ex his enim frequentius dati ſunt in eccleſiis miniſtri non probati nec cogniti, vacaturorúmque beneficiorum expectatio (ſicut antiqua iura teſtantur) occaſionem deſiderandæ mortis alienæ præſtare ſolet, quòd plurimum præiudicat animarum ſaluti. Sed & inſuper lites innumeræ & cõtentiones inter ſeruos Dei excitantur, rancores & iurgia nutriuntur, pluralitatis beneficiorum fouetur ambitio, facultates ac pecuniæ regnorum & prouinciarum mirum in modum exhauriuntur, pauperes diſcurrendo ad Romanam curiam innumerabiles vexationes ſubeunt, & inter viarum diſcrimina nonnunquã ſpoliantur, occiduntur, & variis affligãtur peſtibus, atq; etiam in ſuis patrimoniis ac parentum opibus exhauſtis graui egeſtati ſubiacere cogũtur. plurimi abſque iuſto titulo beneficia ſibi vendicant, & non quibus iure debentur illi obtinent: ſed nonnunquam hi quibus aut circumueniendi proximum maior aſtutia, aut ad litigandum facultas ſuppetit vberior, ſub inuolutionibus quoque prærogatiuarum aut ante lationum aliorúmque huiuſmodi gratias concomitantium,

Cauſa ſequentis ſynodi.

Occaſio mortis captandæ.

Argumentũ ab accidẽtibus cõibus.

fraudes plurimas ac deceptiones cõtingit. Iuuenibus etiam qui ſtudio literarum & virtuoſis operibus intendere deberent, datur materia euagandi, qui ſæpius per litium anfractus & varios diſcurſus ratione gratiarum ipſarum turbantur & inquietantur. Ordinariis collatoribus ſuum miniſterium ſubtrahitur & confunditur ordo eccleſiaſticus dum vnicuique ſua iuriſdictio non ſeruatur. Romaníque Pontifices dum officia inferiorum ſibi nimium vendicant à maioribus & magis fructuoſis operibus vniuerſale bonum concernentibus retrahuntur, nec inferiorum directioni atq; correctioni inuigilant ſicut publica vtilitas expoſcit, quæ omnia grauem confuſionẽ ſtatui clericali & ſacerdotali in diſpendium diuini cultus & præiudicium publicæ ſalutis afferunt, poſſentque grauiorem in futurum afferre ruinam rebus his in deteriora iugiter pro labentibus, niſi prouideretur in aduerſum.

Quarta pars, in qua ponitur ipſa prohibitio & annullatio gratiarum expectiuarum & reſeruationum duobus caſibus exceptis. Guy.

Volens itaque hæc ſancta ſynodus ſuper his opportunum remedium adhibere, ſtatuit & decreuit vt Pontifex Romanus qui pro tempore fuerit eas deinceps gratias expectatiuas aut nominationes nullo modo nulláve ex cauſa concedat, cum ipſe præ cæteris (ne ſit tantorũ occaſio

Abolitio gratiarũ expectatiuarum.

caſio malorum)abſtinere debeat, Fruſtra enim inhiberetur ;interioribus ſi ipſe qui aliis debet eſſe omnium bonorum & virtutum exemplar, non abſtineret. Vt enim ille ſanctiſsimus & doctiſsimus Leo papa inquit, Totius familiæ domini ſtatus & ordo mutabitur, ſi quod inquiritur in corpore: non inueniatur in capite. Integritas enim præſidētium ſalus dignoſcitur eſſe interiorum: ceſſentque de cætero iam factæ,& tam ipſæ quàm etiam fiendæ(ſi quæ fiant)nullæ ſint ipſo facto.

Papa exẽplar virtutum.

Exceptis illis gratiis & nominationibus ſuper quibus proceſſus ſunt iam expediti:quas ex certis rationabilibus cauſis in octo menſibus quibus hactenus curſum habere conſueuerunt tollerandas duximus, donec aliter fuerit ordinatũ. Reſeruationes etiã particulares quæcunque fuerint, beneficiorum vacaturorũ tam per Romanos Pontifices,quàm per legatos ſedis apoſtolicæ de cætero ſint nullæ ipſo facto. * Nõ tamen intendit prohibere hæc ſancta ſynodus hoc præſenti decreto : quominus futuri Romani Pontifices, tempore pontificatus ſui modò honeſto & conuenienti de vno beneficio ad collationem in quo fuerint decem beneficia,de duobus vbi fuerint quinquaginta,& vltra diſponant. Ita tamen vt in eccleſia cathedrali, vel collegiata, duas præbendas ſuo tem-

Apendix ad grãs expectatiuas.

* Secũda pars,

Reſeruatio ad Papam.

Vide infra ỹſ. itẽ voluit. eodẽ titulo.

pore non conferant, vt qualificationes graduatorum inferius deſignatæ in ipſis prębendis ſuũ valeant ſortiri effectum.

Qunita pars in qua non prohibet præuentiones in collationibus, Guy.

Referuationes ꝓhibitæ, vide infra. itẽ circa ꝟſ, eo, tit. Neque etiam collationes per præuentionem faciendas intendit impedire decreto noſtro de Reſeruationibus, quo ad cætera, & aliis decretis huiuſmodi ſanctæ ſynodi in ſuo robore duraturis.

Sexta pars, in qua intendit determinare certas qualificationes quibus ordine certo prouideatur graduatis. Guy.

Vt verò cæteri ad quos beneficiorum dignitatum, perſonatuum, officiorum & adminiſtrationum collatio, ſeu quæuis alia diſpoſitio ſpectat, ad prouidendum literatis viris & ſcientia perornatis ſpecialius aſtringantur, voluit hæc ſancta ſynodus certas qualificationes ſeu qualitates virorum literatorum & graduatorum deſignari, quibus certo ordine debeat prouideri, prout inferius annotatur, adiiciens quòd ſi per prælatos & doctores alicuius nationis in hoc concilio conſiſtentes, pro bono ſuæ nationis aliter circa huiuſmodi qualificationes diſponẽdum videatur in futurum, quicquid per illos fuerit ordinatum, & in generali cõgregatione præſentis conſilij concluſum ex nunc, prout ex tunc ratum & firmum habeatur: & vim decre-

Qualificationes literatorũ deſignãdi

ti habeat, ac ſi in præſenti decreto de verbo ad verbum expreſſum foret.

Septima pars, in qua annullantur collationes factæ contra ordinem & qualificationes, & priuat cõferentes poteſtate conferẽdi, vno caſu dẽpto. Guy.

Quòd ſi quis cuiuſcunque ſtatus etiam ſi cardinalatus, patriarchalis, pontificalis aut alterius cuiuſlibet dignitatis, contra prædictum ordinem & qualificationes, vt præmittitur deſignatas, vt deſignandas de ipſis beneficiis, dignitatibus, perſonatibus, officiis & adminiſtrationibus quouiſmodo diſpoſuerit eo ipſo ſit irritum & inane: collatióque huiuſmodi & prouiſio ſeu quæuis diſpoſitio ad ſuperiorem proximum deuoluatur, qui ſimiliter vt præmittitur habeat prouidere. quod ſi non fecerit, ad alium ſuperiorem deuoluatur gradatim: vſq; ad ſummum Pontificem aſcendendo. Collatio facta contra diſpoſitionẽ ſynodi nulla.

Non volumus tamen ordinarios collatores & eos ad quos præſentatio ſeu quæuis alia diſpoſitio beneficiorum ſpectat, in quatuor menſibus quibus præfatæ gratiæ expectatiuæ vel nominationes curſum non habent, donec ipſæ gratiæ & nominationes ad eorum collationem, præſentationem, ſeu diſpoſitionem cõceſſæ ceſſauerint, ad qualificationes infra ſcriptas obſeruandas aſtringi. Apẽdix. Quatuor mẽſes ordinariorũ

Hic. §. legitur vſque ad. §. I N S V P E R. &

primo narratur iuris veteris cōſtitutio, quod quęlibet eccleſia metropolitana debet habere vnum theologum. Secundo eiuſdem cōſtitutionis ad eccleſias cathedrales extenſio. Tertio præbendati theologalis ad reſidentiam, lecturam & prædicationem obligatio. Quarto eiuſdem in prędictis deficiētis punitio. Quinto ipſius priuilegiatio. Guy.

§. non a tu dignus.

Sequuntur qualificationes & ordo in conferendis beneficiis per ordinarios, de quibus prętactum eſt. Primo, Cum per generalis concilij ſtatuta ſanctæ ordinatum exiſtat, quòd quælibet eccleſia metropolitana teneatur & debeat habere vnum theologum, qui ſua doctrina & prædicationibus fructum ſalutis afferat, ordinat hæc ſancta ſynodus quòd extendatur huiuſmodi ordinatio ad eccleſias cathedrales.

Theolog⁹ in qualibet eccleſia metropolitana conſtituatur.

* Taliter videlicet, ꝙ quilibet collator ipſarū præbendarum teneatur & debeat conferre canonicatum & præbendam quamprimum facultas ſe obtulerit, & inueniri poterit, vni magiſtro licentiato, vel in theologia baccalario formato, qui per decennium in vniuerſitate priuilegiata ſtuduerit, & onus reſidentiæ, ac lecturæ & prædicationis ſubire voluerit: quíque bis aut ſemel ad minus per ſingulas hebdomadas (ceſſànte legitimo īpedimento) legere habeat. Et quoties ipſum in huiuſmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium capituli in ſubſtractione diſtributionum totius hebdomadæ puniri

* Secūda pars. Extēſio. * Tertia pars. On⁹ prębendati theologi. Pœna eiuſdem theologi,

niri poſsit. Et ſi reſidentiam deſeruerit, de alio prouideatur. Veruntamen vt vacare poſsit liberius ſtudio, nihil perdat cum abſens fuerit à diuinis.

Vſque ad. §. IN ECCLESIIS. diuiditur in ſex partes, nam primo ſtatuitur quòd vltra theologalem tertia pars præbendarum graduatis conferatur. Cæteræ partes patent in locis ſuis. Guy.

Inſuper quòd in qualibet eccleſia cathedrali vel collegiata vltra præbendam prædictam theologo, vt præmittitur aſsignandam. Tertia pars præbendarum conferatur graduatis aliàs idoneis modo & forma infraſcriptis, ſic quòd prima vacatura huiuſmodi graduato, & deinde poſt alias duas ſequens eodem modo conferatur: & ſic deinceps. Præbendarũ pars tertia graduatis affectata.

Secũda pars, in qua inſeritur graduatorũ qualificatio. Guy.

Videlicet magiſtris aut licentiatis ſeu baccalariis formatis in theologia: qui per decenniũ in aliqua vniuerſitate priuilegiata, doctoribus ſeu licentiatis in altero iuriũ vel medicina: qui per ſeptẽ annos in ſua facultate ſtuduerint in vniuerſitate vt ſupra: Magiſtris ſeu licentiatis in artibus cum rigore examinis, qui per quinquennium in aliqua vniuerſitate à logicalibus incluſiuè, vt ſupra in artibus vel in aliqua ſuperiori facultate ſtuduerint: necnõ in theologia, Graduatorũ debitę qualificationes.

qui per ſex annos vel in vtroque aut in altero iurium baccalariis,qui per triennium ſi nobiles ex vtroque parente & ex antiquo genere,aliàs autem per quinquennium cum ſimiliter in aliqua vniuerſitate priuilegiata ad minus ſuũ ſtudium fecerint.

Nobilitatis priuilegium.

Tertia pars, in qua ſtatuitur quòd graduati de qualificationibus ſuis tempore videlicet quòd ſtuduerint gradu & nobilitate faciant fidem collatoribus. Guy.

Onus graduatorũ.

Qui de prædictis gradibus tempore & nobilitate ſupradictis fidem facere teneãtur collatori per legitima documenta.

Quarta pars,in qua exhortantur ordinarij vt in conferendis beneficiis ad theologos pręſertim reſpiciant. Guy.

Ordinariorũ cura in conferẽdis beneficiis.

Exhortantur tamen ordinarij collatores ꝙ in conferendis beneficiis huiuſmodi,præſertim quo ad dignitates reſpectum habeant ſingulariter ad magiſtros, necnon licentiatos & baccalarios formatos in theologia.

Quinta pars,in qua ſtatuitur quòd in beneficiis electiuis idem ordo ſeruetur. Guy.

Idẽ ordo in electiuis beneficiis.

In dignitatibus verò electiuis,perſonatibus, adminiſtrationibus & officiis dictarum eccleſiarum idem ordo, modus & forma in omnibus obſeruetur.

Sexta pars, quæ ponit vnum caſum in quo graduatus non eſt capax tertiæ partis beneficiorum. Guy.

Quòd

Quòd ſi quis ex dictis qualificatis tempore vacationis præbendæ, ſeu dignitatis huiuſmodi alias duas obtineat præbendas,ſeu dignitatē & præbēdam vel aliud ſeu alia beneficium aut beneficia quòd vel quę reſidēdo in altero ipſorum & horis diuinis intereſſendo valerent ſeu valeret vſque ad ſummam, ſeu æſtimationem ducētorum florenorum cameræ: ſimiliter quicunque duas præbendas cathedrales obtinuerit nullatenus in ipſa tertia parte includi ſeu cōprehendi cenſeatur.

Cap.16. cui de p̄bendis.

Vſque ad.§.E T V T facilius,prouidet eccleſiis parochialibus in ciuitatibus aut villis muratis exiſtentibus. Guy.

In eccleſiis autem parochialibus quæ in ciuitatibus aut villis muratis exiſtunt inſtituantur perſonæ ſic vt ſupra qualificatæ,aut ad minus qui per tres annos in theologia,vel altero iurium,ſeu magiſtri in artib⁹ qui in aliqua vniuerſitate priuilegiata ſtudentes fuerint & huiuſmodi gradum adepti fuerint, ſi tales poterunt inueniri qui voluerint huiuſmodi beneficiis deſeruire.

Curio parochialis eccleſiæ ciuitatis debet eſſe qualificatus.

Vſque ad.§. P L A C V I T diuiditur in tres partes: nam primò ſtatuitur quòd quolibet anno tempore quadrageſimæ fiat per qualificatos exhibitio nominum collatoribus,aut patronis vel eorumq; vicariis: quòd ſi non fiat, non tamen eſt collatio irrita. Guy.

Tẽpus immatriculationis.

Et vt facilius inueniri poſsint ſtatuit hęc ſancta ſynodus quòd quolibét anno durante tempore quadrageſimæ, omnes & ſinguli hoc modo qualificati, de ipſa diœceſi & alij qui voluerint, habeãt per ſe vel per procuratorem ſuum ſua nomina exhibere illis ad quos beneficiorũ, curatorum collatio ſeu pręſentatio ſpectat, ſeu eorum vicariis: quòd ſi non fecerint collatio ſeu præſentatio vel diſpoſitio aliter quàm vt præmittitur facta, non propter hoc irrita cenſeantur. Et ſimiliter in collatione tertiæ partis præbendarum ſuperius memoratarum intelligatur, ſi tot graduati ſeu qualificati modo pręmiſſo potuerunt inueniri, teneantúrq; vt præmittitur ipſi graduati & qualificati ſua nomina tempore prædicto ipſis ad quos beneficiorũ diſpoſitio ſpectat, ſeu eorum vicariis exhibere per ſe vel per procuratorem: ꝙ ſi non fecerint, collatio, ſeu præſentatio, vel diſpoſitio aliter quàm vt præmittitur facta non propter hoc irrita cenſeatur.

Secunda pars, in qua collatio facta contra qualificationes & ordinem caſſatur, & collator punitur. Guy.

Collatio ſeu pręſentatio condebitum qualificationem nulla.

Si autem illi ad quos beneficiorum quæuis diſpoſitio ſpectat contra ſupradictarum qualificationum deſignationem & ordinem aliquod beneficium contulerint, ſeu ad ipſum præſentauerint, vel quomodolibet diſpoſuerĩt: ſit ipſo

facto

facto irritum & inane, veluti ſuperius præmiſſum eſt. Et nihilominus per cōcilia prouincialia cum in his defecerint, aut etiā perſonis non idoneis quoquomodo prouiderint, iuxta tenorem conſtitutionis concilij generalis quæ incipit GRAVE DE PRAEBENDIS, corrigantur & debitè puniantur.

Tertia pars, in qua ſtatuitur quòd beneficia regularia religioſis idoneis conferantur: & conferentes indignis puniantur. Guy.

Illi verò ad quos beneficiorum regularium ſpectat collatio ſeu diſpoſitio, prætermiſsis indignis, eadem religioſis idoneis cōferant & aſſignent: quòd ſi aliter fecerint, per eorum ſuperiores & capitula prouincialia corrigantur & debitè puniantur. Datum in ſeſsione noſtra publica in eccleſia maiori Baſilienſi ſolenniter celebrata, nono Caledas Februarij: Anno à natiuitate domini Milleſimo quadringenteſimo trigeſimooctauo. Bñficia regularia dignis religioſis concedi debent. Annus Baſilieñ. concilij.

Vſque ad decretū de cauſis ponuntur verba cō gregationis eccleſiæ Callicanæ declaratiua & modificatiua decreti præcedentis, & vſque ad. §. ITEM VISVM FVIT ponit vnum caſum in quo tollerantur gratiæ expectatiuæ.

Placuit tamen ipſi congregationi, vt gratiæ expectatiuæ, & facultates nominādi, à ſummo Pontifice emanatæ, ac nominationes exinde ſecutæ ſuper quibus iuxta determinationē decreti Baſiliēſis cōcilij proceſſus apoſtolici fue- Limitatio

runt expediti, vſque ad paſcha proximũ & non vltra quoquomodo tollerẽtur. Ita tamẽ quòd ſi interim etiam quandocunque decernat concilium eas non eſſe vlterius tollerandas, quòd quicquid in hoc caſu concilium ſtatuerit, decreuerit ſeu declarauerit, rex & eccleſiæ ſuorũ regni & Delphinatus gratũ habebunt & acceptũ, quo verò ad alias expectatiuas, aut nominationes ſuper quibus non erant proceſſus expediti, tẽpore decreti Baſilienſis concilij hæc congregatio iuxta determinationem ſacri Baſilienſis concilij, ſæpedicti eas cenſet non eſſe à modo tollerandas, ſed eas ex nunc habent & cenſent rex & antedicti, caſſas, vacuas, nullas & inanes.

Rex Franciæ in regno promititit obſeruare concilia.

Gratiarũ expectatiuarum abolitio.

Dicit fore expediens contra impetrantes expectatiuas graues pœnas imponere. Guy.

Item viſum fuit eidem cõgregationi, quòd licet concilium ſtatuerit, vt dictæ gratiæ (ſi quę fiant) ſint nullæ ipſo facto, quod nihilominus deberent ſtatui per cõcilium graues pœnæ aduerſus omnes & ſingulos, qui de cætero eas impetrabunt, ſeu acceptabunt, vel fouebunt, aut qui eis vti exinde præſument, vel conabuntur, inuocando etiam contra tales (ſi opus videatur) auxilium brachij ſecularis.

Impetrãtes gratiarũ expec. pœna digni.

Dicit inſtandum fore apud concilium vt præuentiones beneficiorum damnarentur. Guy.

Item circa clauſulam poſitam in ipſo decreto

creto quæ incipit, NEQVE etiam collationes per præuentionem fiendas, intendit impedire,&c.

Supr. eodẽ ỹſ. neque etiam.

Viſum eſt prædictæ congregationi, quòd quia indultum à iure beneficium,& maximè à ſacris canonibus, nemini debet auferri abſque ſui culpa, vt ait Gregorius in regiſtro, Rem quæ culpa caret, in damnum vocare non conuenit, viſum fuit prælibatæ cõgregationi quòd cum collatores & patroni eccleſiaſtici habeát, beneficio ſacri Lateranenſis concilij, certum tempus ad præſentandum & conferendum reſpectiuè, quòd debent inſtare regij oratores apud ſacrum concilium generale, vt prouideat circa ſuum decretum de collationibus, in hoc ſcilicet quòd decretum illud videtur ipſi Lateranenſi concilio velle derogare ita quòd velit ipſum ſacrum concilium decernere, quòd præuentiones etiam apoſtolicæ ſedis vel legatorum eiuſdem factæ in contrarium non valeant quo magis ipſis collatoribus & patronis ſuum ius ceſſante culpa eorum (ſicut iuſtitia ſuadet) ſeruetur illæſum.

Indultum beneficiũ nõ tollendum.

Reſeruationes eccleſię Galliæ ad futurum cõcilium.

Vſque ad. § ITEM QVOD AD DICTAS, primò ſtatuitur quòd duæ partes tertiæ beneficiorum debitæ graduatis nominatis. Secundò declarat beneficia quæ & qualia faciunt turnũ ad inuicem. Tertiò ponit extenſionem ad regularia. Guy.

Graduati debentur duæ partes beneficiorum.

Item placuit ipſi cógregationi vt tanto magis ſtudia & vniuerſitates ſtudiorum regni & Delphinatus cum ſcientiarum augmento foueantur, quòd ſuppoſitis vniuerſitatum prædictarum conferantur duæ partes præbendarum illius tertiæ quæ ſecundum decretum ſacri Baſilienſis cócilij, de collationibus beneficiorum eſt conferenda ſolis graduatis, & idem ordo in parochialibus eccleſiis & capellaniis obſeruetur: * ita quòd parochialis eccleſia reſpectu parochialis eccleſiæ, faciat turnum, & capellania reſpectu ſolius capellaniæ, & præbenda cathedralis, reſpectu ſolius cathedralis, & præbenda eccleſiæ collegiatæ reſpectu cuiuſuis eccleſiæ collegiatæ ad collationem eandé pertinentes. Ita quòd in hoc caſu omnes eccleſiæ collegiatæ ſpectantes ad eandem collationem, pro vna collegiata eccleſia ſint habendę. Et idem ordo in regularibus & eccleſiaſticis ſubuentionibus perpetuis quocunque nomine cenſeantur obſeruetur.

* Secũda pars.

Quæ bñficia faciant turnum.

Extenſio ad regularias

Vſque ad. §. ITEM quòd vniuerſitates. Primò dicit quòd vniuerſitates poſſunt ſuis graduatis concedere nominationes, ad duas partes tertiæ partis beneficiorum debitæ graduatis. Secundò ꝙ in nominationibus ſi ſunt eiuſdẽ anni, locus eſt gratificationi collatoris. Si diuerſorum annorum, qui prior eſt in data, præferendus eſt. Guy.

Item quòd ad dictas duas partes ſecundum ordinem

ordinem prædictũ poterunt vniuerſitates cuilibet eccleſiaſtico patrono ſeu eccleſiaſtico collatori nominare certum numerum ſuorũ graduatorum, qui tũc in ipſis vniuerſitatibus actu reſidebũt, & qui pro præſentibus iuxta morem vniuerſitatum & ſtudiorũ cenſebuntur habendi per eaſdem: * ita tamen quòd ipſe eccleſiaſiaſticus collator vel eccleſiaſticus patron⁹ nõ teneatur de neceſsitate ſequi ordinem huiuſmodi nominationis, dum tamen fiat pręſentatio vel collatio alicui de numero nominatorũ: adiecto quòd ſi omnibus de dicto numero fuerit aliquo vel aliquibus excepto, vel exceptis ſatisfactum, quòd illi vel illis quibus de dicto numero adhuc ſatisfactum non fuerit neceſſario ſatisfieri primitus oporteat, & eos pręferri quibuſcunque poſtea ab ipſis vniuerſitatibus nominandis.

Graduati actu reſidentes nominãdi patrono & collatori.

* Secũda pars.

Collatoris ſeu patroni cura

Æquitas in collatione ſeruanda.

In literis nominationum, gradus, numerus beneficiorum & qualitates eorũ exprimi debent. Guy.

Item quòd vniuerſitates teneantur deſcribere gradus ſuorum nominandorum, ac numerum & qualitates beneficiorum, quæ præſentationis tempore poſsidebunt ſui nominandi. Ita tamen quòd collatores non teneantur in eorum literis huiuſmodi non obſtantias exprimere ſiue deſcribere.

Quid exprimere debẽt nominandi.

Omnis vacatio turnum facit, vacationibus ex

cauſa permutationis & ſimplicis reſignationis exceptis. Guy.

Item quòd omnia prædicta beneficia per ordinarios ſcilicet conferenda, quocunque modo vacauerint, aliàs ſcilicet quàm ex cauſa permutationis vel ſimplicis reſignationis, faciant turnum reſpectu præſentationis vel collationis illis de vniuerſitatibus vel ſtudiis faciendæ.

Quæuis vacatio facit turnũ exceptis duob⁹ caſibus.

Primò prohibetur ne præcipitata, & indignorum fiat ad gradus promotio. Secundò punit contrafacientes: ibi, Contra facientes. Guy.

Item vt de cætero floreat ſapientia & vigeant literarum ſtudia, nullus ad titulos graduum & honorum aſſumatur niſi idoneus & approbatus moribus & ſcientia atque benemeritis, nec ita leuis & nimium præcipitata promotio fiat. Nam (vt notum eſt & cunctis ridiculoſum) multi magiſtrorum nomẽ obtinent, quos adhuc diſcipulos magis eſſe deceret. Contra facientes aut veniẽtes priuilegiis regalibus eiſdem vniuerſitatibus cõceſsis, ipſo facto ſint priuati.

Idonei ſoli ad gradũ promouendi.

Pœnę doctoribus infligẽdę.

Romanus Pontifex poteſt prouidere per reſeruationem aut gratiam expectatiuam in forma mandati hic limitati de vno beneficio ad collationem in qua fuerint decem: & de duobus in qua fuerint quinquaginta. Guy.

Item voluit dicta congregatio quòd decretum faciens mentionem quòd omnis futurus Romanus Pontifex poſſet prouidere ſuo tempore,

Supr. eo. §. ſi. nõ tñ.

pore, vel facere prouideri de vno beneficio reſpectu collationis in qua fuerint decem, & de duobus in qua fuerint quinquaginta, extendatur ſimiliter ad dominum noſtrum Papam modernum. Et quia in ipſo decreto dicitur, quòd poſsit quilibet Romanus Pontifex modo tamen licito & honeſto,&c. Viſum fuit ipſi congregationi hoc debere fieri per mandatũ apoſtolicum collatoribus vel patronis eccleſiaſticis dirigendum, iuxtà formam capituli Mandatum de reſcriptis in antiquis, cum duobus capitulis ſequentibus. Et quòd talia mãdata fiant ſub vera data, nõ verò ſubdata retroactiua: ita ꝙ dictũ mandatum non habeat executionem, niſi poſt menſem à tẽpore ſuæ præſentationis eccleſiaſtico patrono, ſeu eccleſiaſtico collatori, aut eius vicario in ſua abſentia: vt eo magis malitiis & fraudibus huiuſmodi obuietur. De mãdato apoſtolico & eius forma.

Vſque ad. §. ITEM cenſuit eccleſia Gallicana reſeruat diſpoſitioni papæ Eugenij quarti ꝓ tempore ſuo duntaxat prouiſionem cæterorũ beneficiorum. Guy.

Item inſuper viſum fuit præfatæ congregationi, ꝙ vltra decreta ſacri dicti cõcilij Baſilienſis edita de electionibus & collationibus beneficiorũ: ſit ipſi domino noſtro Papæ moderno circa aliquas prouiſiones & diſpoſitiones de eccleſiaſticis beneficiis aliquibus in regno & Delphinatu & aliis dominus regis, & tantum Prouiſio cæterorũ beneficia reſeruata Papæ.

tempore Papæ moderni & per modum doni gratuiti, ac ſine præiudicio deſerendum: videlicet in caſibus qui ſequuntur. * Et primò de omnibus eccleſiis, monaſteriis, beneficiis, aut officiis ſecularibus vel regularibus quibuſcunque, etiam ſi cathedrales & metropolitanæ, aut prouinciales exiſtant, quæ illi qui erunt per eũ in antea promouendi de iure cõmuni, & iuxta formam prædictorũ tempore promotionis eorum obtinebunt, poſsit ipſe pro ſuo tempore diſponere etiam vbicunque cõtigerit eoſdem promotos conſecrari & benedici.

* Secũda pars.

Caſus in quib9 Papa poteſt diſponere de beneficiis.

* Item non ſolùm de illis quæ dicti promouendi tempore ſuæ promotionis obtinebunt vt præfertur, ſed etiam de illis omnibus quæ ipſe dominus noſter Papa modernus volet & diſponet per aſſecutionem prædictorum beneficiorum mediatè vel immediatè in curia vel extra ſore dimittenda: abſque tamen quacunque exactione vacaturarum aut aliorũ onerum, ſalua ſemper prouiſione quintæ partis ſæpedictæ in caſibus circa prouiſionem pecuniarum annotatis. * Item voluit dicta congregatio ipſam libertatem facere & cẽſeri eſſe factam perſonaliter domino noſtro Papæ moderno, & ſine præiudicio libertatum & iurium eccleſiæ Gallicanæ (vt præmiſſum eſt) ita quòd huiuſmodi conceſsio in perſonam ſucceſſorum

* Tertia pars.

Amplificatio.

Reſtrinctio ſupra dictorum

* Quarta pars.

Perſonalis cõceſſio non tranſit ad ſucceſſores.

rum

rum (prout in ſimili dictum eſt) tranſitum non habeat.

Dicit proſequendũ fore apud concilium ne Romani Pontifices de creandis canonicis ſe intromittẽt: niſi ad effectũ dignitatis in aliqua eccleſia obtinendæ. Guy.

Item cenſuit ipſa congregatio proſequendum eſſe apud concilium: ne de cętero Romani Pontifices ſe intromittant de creandis canonicis in cathedralibus aut collegiatis eccleſiis in quibus eſt certus numerus canonicorum & præbendarum cum appoſitione decreti irritantis: vt tanto magis vitetur occaſio captãdæ aut deſiderandæ mortis alienæ, * niſi in eo caſu duntaxat in quo dignitas vel officium de qua vel de quo ipſe alicui cẽſeret prouidendũ iuxta formam antedictam, requireret forſan canonicatum in eccleſia à qua dependeret dignitas antefata: ita tamen quod per huiuſmodi creationem canoniæ canonicus huiuſmodi ſi (ſaltẽ præter conſenſum collatoris crearetur) nõ expectat præbendam de proximo vacaturam, in vim ſcilicet creationis huiuſmodi, niſi alia ratione ei debeatur. Item acceptat decretum de cauſis quod incipit.

Reſeruatio ad cõcilium de nõ creandis canonicis per Papam.

* Exceptio.

Vſque ad. §. ET NE SVB VMBRA, diuiditur in tres partes. Nam primò ponit exordium. Cæteræ partes patent in locis ſuis. Guy.

Eccleſiaſtic.

Fraterna charitas in clero & populo.

ECCLESIASTICAE ſollicitudinis ſtudiũ iugiter inuigilare conuenit, vt fraterna charitas in clero ac populo Chriſtiano vigeat, nec quiſquam per vexationes & afflictiones indebitas proximum ſuum opprimere permittat: ſicque iuſtitia ordine debito, cuilibet miniſtretur: vt & viris doloſis auferatur nocendi licentia, & quies & trãquillitas rectorum non facilè perturbetur.

Secunda pars, quæ ponit inconuenientia, quæ proueniũt ex euocatione cauſarum de longinquis partibus ad Romanam curiam. Guy.

Licentia calũnioſis abolita.

Inoleuerunt autem hactenus intollerabilium vexationum abuſus permulti, dum nimiũ frequenter a remotis etiam partibus ad Romanam curiam & interdum pro paruis & minimis rebus ac negotiis quòd plurimi citari & euocari conſueuerunt: atque ita expenſis & laboribus fatigari: vt nonnunquam commodius arbitrarentur iuri ſuo cedere, aut vexationem ſuam graui damno redimere, quàm in longinqua regione litium ſubire diſpendia: ſic & facilè extitit calumnioſis opprimere pauperes, ſic beneficia eccleſiaſtica plerunque minus iuſtè per litium anfractus obtenta ſunt, dum iuſtis poſſeſſoribus eorum ſeu quibus illa de iure competebant: neque opes, neque facultates

ad

ad ſumptus illos ſufficere poterant: quos longinqua profectio ad Romanam curiam & litium agitatio in eadem depoſcebant. Confunditur etiam exinde eccleſiaſticus ordo dum ordinariis iudicibus ſua iuriſdictio minimè ſeruatur. pecuniæ & facultates regnorũ ac prouinciarum hoc pacto non parum diminutæ ſunt. & (quod vniuerſo eccleſiaſtico ordini admodum nocere compertum eſt) hi quos ad ſumma negotia Chriſtianæ religionis ſublimitas dignitatis euocabat, minus illis reddebantur intenti, dum ipſorum mentes nimium occupabat aſsidua cauſarum multitudo.

Tertia pars, in qua ponitur conſtitutio ſuper dictis cauſis tractandis. In prima inſtantia in partibus vltra quatuor dietas à Romana curia diſtantibus vno caſu excepto. Guy.

Quæ attendens hæc ſancta ſynodus & pro reformatione eccleſiæ Dei in capite & in mẽbris iuxta poteſtatem à domino ſibi cõceſſam: inuigilans vt omnia deinceps ordine congruo peragantur ad ſalutem animarum: ac pacem & quietem cunctorum.

Qui iudices cognoſcant de cauſis.

Statuit & decreuit quòd in partibus vltra quatuor dietas â Romana curia diſtãtibus, omnes quæcũq; cauſæ (exceptis maioribus in iure expreſſe enumeratis & electionũ eccleſiarum

Reſeruationes ad Ro. curiã

cathedralium & monaſteriorum cauſis, quas cauſas immediata ſubiectio ad ſedem apoſtolicã deuoluit) apud illos iudices in partibus qui de iure aut de conſuetudine præſcripta vel priuilegio cognitionem habent, terminentur & finiantur.

Primò ponitur cauſa conſtitutionis, deinde conſtitutio quòd gradatim etiam ad Papam appelletur. Guy.

Appellationes aliquãdo ad prorogationem litium.

Et ne ſub vmbra appellationum quæ nimium leuiter & nonnunquam friuolè hactenus interponi viſæ ſunt, atque etiam in eadem inſtantia ad prorogationem litium ſæpè multiplicari & materia fouẽdis iniuſtis vexationibus relinquatur.

Appellatio ad immediatũ ſuperiorẽ gradatim.

Statuit eadem hæc ſancta ſynodus quòd ſi quis offenſus coram ſuo iudice habere nõ poſſit iuſtitiæ complementum, ad immediatum superiorem per appellationem recurſum habeat, nec ad quemcunque etiam ad Papam obmiſſo medio.

Ab interlocutoria non habente vim diffinitiuæ reparabili in diffinitiua appellare prohibet. Guy.

Ab interlocutoria non licet appellare except. certis caſibus.

Neque à grauamine in quacunque inſtantia ante diffinitiuam ſententiam quo molibet appelletur: niſi forſitan tale grauamen extiterit, quod in diffinitiua reparari nequiret: quo caſu non aliàs quàm ad immediatum ſuperiorem liceat appellauere.

Cauſa

Cauſa appellationis ad Papam interiectæ debet committi in partibus. Guy.

Si verò quiſpiam à ſedis apoſtolicæ immediatè ſubiecto ad ipſam ſedem duxerit appellandum, cauſa per reſcriptum vſque ad finem litis incluſiuè committatur in partibus: niſi fortè propter defectum iuſtitiæ aut iuſtum metũ etiam in partibus conuicinis de quibus in commiſsione exprimendis legitimo prius documẽto alias quàm per iuramentum ſummariè conſtiterit: apud ipſam ſedem foret merito retinenda. Exceptio iuſti metus.

Facta contra præſens decretum annullat & litigantes in expenſis condemnat. Guy.

Et quicquid in contrarium huius ſaluberrimi decreti attentatum, factum vel obtentum fuerit, ſit nullum ipſo facto. litigantéſque qui contra fecerint in expenſis condemnentur. Reprobatio actorum contra ſtatuta præcedentia.

Romanæ eccleſiæ officiales actu in curia ſuis officiis inſiſtentes, hoc decreto non comprehendit. Guy.

Romanæ verò cardinales eccleſiæ vicecancellarium, camerarium, magnum pœnitentiarium, protonotarios & alios ſedis apoſtolicæ officiales actu in curia ſuis officiis inſiſtentes, hoc decreto non intendimus comprehendi. Exceptio officiorũ Papæ.

Concilium Baſilienſe ex certis cauſis ſibi reſeruat cognitionem certarum cauſarum. Guy.

Ne tamen in diſſolutionem vel tranſlatio-

nem præſentis concilij aut erectionem conuẽticuli apud Ferrariam vel alibi ſub nomine generalis concilij, quod dominus Eugenius Papa quartus efficere conatus eſt vel conaretur in futurũ, cauſas illas, & maximè incorporatorum aut incorporandorum in hoc ſacro concilio quas hæc ſancta ſynodus remitteret aut non reciperet, in curiam ipſius domini Eugenij aut præfatum conuenticulum Ferrarienſe vel alibi de facto trahi contingeret, in fomentum diſſolutionis, tranſlationis & erectionis prædictarum: voluit hæc ſancta ſynodus cauſas quaſcunque pendentes & commiſſas, aut etiam quaſcunque cauſas incorporatorum aut incorporandum, ac alias per appellationem, deuolutas aut deuoluandas, necnon illas quæ obſeruationem decretorum ipſius ſanctæ ſynodi concernunt apud eandem ſynodum (ipſa durante ſeu donec aliter fuerit ordinatum) tractari. ſaluis etiam auocationibus cauſarum pendentium in curia Romana per quæcunque noſtra decreta factis aut faciendis: decretis etiam aliis & ordinationibus eiuſdem ſanctæ ſynodi in ſuo robore remanentibus: cum modificationibus ſequentibus.

Reſeruatio certarum cauſarum ad ſynodum.

Hæc ſunt verba congregationis eccleſiæ Gallicanæ quæ ponunt aliqua aduiſamenta & modificationes, prout patent in locis ſuis. Guy.

Viſum m

Viſum fuit dictæ congregationi quòd ſi Romanam curiam reſidere contingat citra Montes, quòd tunc in partibus vltra duas dietas à curia diſtantibus, omnes cauſæ eccleſiaſticæ habeant tractari coram illis: ſcilicet iudicibus quibus de iure aut conſuetudine vel priuilegio competit cognitio & diffinitio eorum: exceptis cauſis quæ exprimuntur in decreto.* Item quod monaſteria & alia beneficia qualiacunque ſecularia & regularia: ſeu loca circa quorum exemptionem prouidit ſacrum Conſtantiẽſe conciliũ per quendam canonẽ qui (vt dicitur) incipit ATTENDENTES: quod non ſunt habenda reſpectu dicti decreti de cauſis. nec aliàs quouiſmodo pro exemptis, ſed verius pro non exemptis: & pro talibus per generale cõcilium ex cautela ſuper abundanti declaranda: & quod hoc proſequantur oratores regij apud ipſum concilium.

prima modificat. eccl. gallic.

* Secũda pars.

Titul. de exẽptio.

Exẽptoris iura proſequẽdo in generali cõcilio.

Hic ponitur acceptatio cum augmento & modificatione. §. Et ne ſub vmbra. Verſiculo Statuit, ſuper Eod. Guy.

Accptatio eccleſiæ gallicanæ.

Item placet æquitas dicti decreti: quod ad neminem etiam ad Papam poſsit omiſſo medio de cætero appellari. & quod ſiquis offenſus non poſsit coram ſuo iudice habere iuſtitiæ complementum: quod tunc poſsit per appellationem ad immediatum ſuperiorem dicti

ſui iudicis habere recurſum:ita quòd ſi Papa ſit immediatus ſuperior dicti iudicis,quòd cauſa committatur in partibus non ſuſpecto vel ſuſpectis.

Acceptatio & modificatio.§. NEQVE à grauamine ſupra Eo. Guy.

Item placet decretum in hoc ſcilicet quòd in nulla inſtantia poſſit quomodolibet appellari ante diffinitiuam ſententiam,ſi grauamen tale exiſtat quòd in diffinitiua poſſit reparari: ſecus ſi tunc non poteſt reparari:nam tunc licitũ eſt etiam ante diffinitiuam ſententiam appellare: non tamen ad alium quam ad immediatum ſuperiorem vt præfertur:ita etiam quòd ſi ille immediatus ſuperior ſit ipſe Papa,quòd cauſa ipſa committatur non ſuſpecto vel non ſuſpectis,vel in partibus: vt in ſimili dictum eſt.

Caſus in quo appellari poteſt ab interlocutoria.

Alia acceptatio cum modificatione. Guy.

Item placet decretum in verſiculo SI VERO quiſpiam vſque ad verſiculum ROMANAE VERO: ſaluo quòd pro iuſtificatione & moderatione dicti verſiculi,videtur inſtandum fore per ipſos regios oratores apud ipſum concilium ad determinationem numeri, & qualitatem officiariorum apoſtolicarum & curiæ.

Numerus & qualitas officiariorum apoſtolicorum indeterminatus.

Limitatio circa verſiculum VOLVIT hæc ſancta ſynodus ſupra Eo. Guy.

Item circa verſiculum VOLVIT hæc ſancta ſyn

ĉta ſynodus, in decreto prædicto de cauſis, Viſum eſt quòd prædictus verſiculus ſeu articulus eſt pro nunc reſpectu cauſarum iam actu Baſileæ pendentium, adhuc tollerandus, propter bonam ſpem eo magis inclinandi concilium Baſilienſæ prædictum ad vnionem & concordiam cum domino noſtro Papa. ita tamẽ quòd ambaſiatores regij qui ſunt illic deſtinati, habeant demonſtrare ipſi ſacro concilio quod vacare & intendere tot cauſis & talibus repugnat officio conſiliorum generalium : & quod hoc poſſet dare cauſam ſeu occaſionem perpetuandi generalia concilia, & abſorbendi auctoritatem ſedis apoſtolicæ & aliorum prælatorum, & finaliter excitandi reges & principes aduerſus generalia concilia, in grande præiudicium fidei & eccleſiæ ſanctæ Dei, cum intimatione illis de concilio prædicto facienda. Quòd ſi ipſi circa hoc differant prouidere rex & eccleſia regni ſui & delphinatus, tum ob neceſsitatem ſuo regno his diebus plurimum ingruentem, tum vt æqualitas reſpectu ipſorum, ſicut reſpectu Papæ obſeruetur, prout per decreta eorum aduerſus Papam ſtatuitur, quod in euentum moræ amplioris, ſicut reſpectu vnius partis iam per eos prouiſum eſt, ita reſpectu alterius inſpirante domino, ſicut iuſtum eſt prouidebit: quoniã ſcriptũ eſt, Patere legem quam ipſe tuleris. Et

Approbatio temporalis verſiculi.

Officia orator ũ Franciæ ad concilium.

alibi, Quod quiſque iuris in alterum ſtatuerit, ipſe eodem iure vtatur.

Nona concluſio eccleſiæ Gallicanæ de cauſis, quæ de ſui natura apud ſedem apoſtolicam vel curiam Romanam non ſunt tractandæ. Guy.

Appellationes q̃ ad parlamentum Franciæ, aut Delphinatus debēt remitti.

Quid ſit litiſcontestatio.

Item fuit concluſum per eandem congregationem, vt omnes & ſingulæ cauſæ quæ de ſui natura & ſecundum ſacros canones non ſunt tractandæ apud ſedem apoſtolicam vel curiam Romanam, aut etiam apud generalia concilia ſi in eis nondum eſt lis conteſtata, vel quaſi cōteſtata, puta porrecto iam libello & cognito de meritis cauſæ, ſeu iam incepto cognoſci de eiſdem, tractentur & agitentur deinceps coram ſuis iudicibus in partibus quibus reſpectu earum competit iuriſdictio. quòd ſi contingat in cauſis eiſdem deinceps ad dicta fora appellari quòd cauſæ appellationum committantur in partibus iuxta conſtitutionem Bonifacij octaui quæ incipit Statutum: & obtineantur literæ à rege inhibitoriæ ad curiam Parlamenti, & ad alios iuſtitiarios & officiarios regni & Delphinatus.

Item acceptat decretum contra friuolæ appellantes.

Contra

CONTRA FRIVOLAE APPELLANTES.

Non liceat ab interlocutoria vim diffinitiuæ non habente ſecundo appellare. Et appellans iniuſtè ante diffinitiuam in expenſis, damnis & intereſſe condemnatur. Guy.

VT lites citius terminentur ſuper eodem grauamine, aut ſuper eadem interlocutoria vim diffinitiuæ non habente nullatenus liceat ſecundo appellare. Quódque ante diffinitiuã friuolé aut iniuſtę appellans, vltra condemnationem expẽſarum, damnorum & intereſſe in quindecim florenis aureis de camera parti appellatæ per appellationis iudicem condẽnetur. Secunda appellatio ab interlocut. reprobata.

Item acceptat decretum de pacificis poſſeſſoribus.

DE PACIFICIS POSSESSORIBVS.

Poſſeſſor triennalis pacificus ſine lite & cum titulo colorato non poteſt inquietari, vno caſu dempto. Guy.

QVicunque non violentus, ſed habens coloratum titulum: pacificè & ſine lite prælaturam, digni tatem, officium, vel beneficium triennio proximo hactenus poſſedit vel in futurum poſsidebit, Pacificus poſt triennium cenſetur.

non poſſit poſtea in petitorio vel poſſeſſorio à quoquam, etiam ratione iuris nouiter impetrati, moleſtari: excepto hoſtilitatis caſu, vel alterius legitimi impedimenti de quo proteſtari, & illud iuxta concilium Vienneſe intimare teneatur.

Lis ſuper beneficio quomodo intelligit.

Lis quando dicatur.

Lis autem hoc caſu quo ad futuras controuerſias ĩtelligatur, ſi ad executionem citationis iuriſque ſui in iudicio, exhibitionem ac terminorum omnium obſeruationem proceſſum fuerit.

Ordinarius quandocunque reperierit aliquem ſine titulo beneficium poſſidere, debet declarare ius illi non competere. Guy.

Iudicis ordinarij officium.

Ordinarij auté inquirant diligenter ne quis ſine iuſto titulo beneficium poſſideat. quod ſi talem quandocunque reperierint, declarent ius illi non competere & huic ſi ſibi videatur (niſi ſit intruſus vel violentus, aut aliàs indignus) vel alteri idoneo prouideant. Datum in ſeſſione publica in eccleſia maiori Baſilienſi ſolenniter celebrata, die Iouis nona menſis Iunij. Anno à natiuitate domini Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto.

Item acceptat decretum de numero & qualitate Cardinalium,

De numero

DE NVMERO ET QVALITATE CARDINALIVM.

Diuiditur in quinque partes. Nam primò ponitur breue exordium. Secūdò prouidet circa immoderatum numerum Cardinalium. Tertiò circa ætatem & qualitatem eorū. Quartò circa electionem eorum. Quintò ponitur eccleſiæ Gallicanæ modificatio. Guy.

CVm ſummo Pōtifici ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales in dirigenda eccleſia Chriſtiana, republica, collaterales aſsiſtāt, neceſſe eſt vt tales inſtituātur, qui ſicut nomine, ita re ipſa Cardines ſint, ſuper quos hoſtia vniuerſalis eccleſiæ verſentur & ſuſtententur. Ab ethimologia verbi.

Statuit igitur hæc ſancta ſynodus, vt deinceps eorum numerus à Deo ſit moderatus: vt nec ſit grauis eccleſiæ nec ſuperflua numeroſitate vileſcat: qui de omnibus Chriſtianitatis regionibus quantum fieri commodè poterit aſſumantur, vt noticia rerum in eccleſia emergentium facilius haberi, & ſuper his maturius deliberari poſſit. ſic tamen quòd numerum vigintiquatuor inter eos qui nunc ſunt & aſſumendos non excedant. Ita quòd de vna natione vltra tertiam partem reſpectu Cardinalium pro

Cauſa creationis Cardinaliū in diuerſis regionibus

Numer⁹ Cardinalium.

tempore exiſtentium, ac de vna ciuitate & diœceſi vltra vnum inde oriundum, & de ea natione quę nunc vltra tertiam partem habet, vſque ad ipſius tertiæ partis reductionem eſſe nequeant.

Qui debent eſſe cardinales.

Sint viri ſcientia moribúſque & rerum experientia excellentes, non minores triginta annis, magiſtri doctores ſeu licentiati cum rigore examinis in iure diuino vel humano. ſit ſaltem tertia vel quarta pars de magiſtris aut licentiatis in ſacra ſcriptura. Inter eos autem vigintiquatuor eſſe aliqui poterunt valde admodum pauci filij, fratres, aut nepotes regum ſeu magnorum principum, in quibus cum circunſpectione & maturitate morum competens literatura ſufficiat. Non fiant cardinales nepotes ex fratre vel ſorore Romani Pontificis, aut alicuius cardinalis viuentis, non illegitimè nati, non corpore vitiati, nec alicuius criminis aut infamiæ nota reſperſi. Prædicto autem numero vigintiquatuor pro magna eccleſiæ neceſsitate vel vtilitate, dummodo alij in quibus vitæ ſanctitas vel eximiæ virtutes refulgeant, quanquam memoratos gradus non habeant. ac de Græcis cum Romanæ eccleſiæ vniti fuerint, inſignes aliqui viri adiici poterũt. Non fiat cardinalium electio ſolum per auricularia vota, ſed illi ſolum aſſumi poterunt in

Qui non dñt creari cardinales.

Adiectio ad numerum cardinalium.

quos

quos facto vero ſcrutinio ac publicato maiorem partem cardinalium per ſubſcriptionem manus propriæ conſtiterit collegialiter conſenſiſſe: deſuper etiam apoſtolicæ literæ cum ſubſcriptione cardinalium conficiantur, decreto huius ſacri concilij in quarta ſeſsione ſolenniter publicato quod incipit ITEM CVM multiplicatio cardinalium in ſuo robore inuiolabiliter permanſura. facto verò ſcrutinio ac publicato maiorem' partem cardinalium per ſubſcriptionem collegialiter conſenſiſſe, deſuper & apoſtolicæ literæ in ſubſcriptione cardinalium conceruantur: ſaluò quod videtur nimis rigoroſum contra nepotes Romanorum Pontificum, ſi aliàs ſint benemeriti prout & alij.

Exceptio quātū ad nepotes pontificū

DE ANNATIS.

Vſque ad. §. VOLVIT TAMEN, diuiditur in quatuor partes. Nam primò ponitur cōſtitutio, quòd pro confirmationibus electionum, collationibus beneficiorum, ordinibus aut aliis ſpiritualibus nihil exigatur, & caſſat conſuetudines, priuilegia & ſtatuta contraria. Secundò punit exigentes, dantes & promittentes. Tertiò caſſat obligationes, cenſuras, & mandata huic decreto contraria. Quartò pœnas adiicit. Guy.

Statuit

Papa non debet aliquid recipere pro collatione &c. eiuſce modi.

STatuit hæc ſancta ſynodus quòd tam in eccleſia Romana quàm alibi pro ſeu in cõfirmatione electionũ, admiſſione poſtulationum, præſentationum prouiſione, collatione, diſpoſitione, electione, poſtulatiõe, præſentatione, etiam à laicis facienda inſtitutione, inſtallatione, & inueſtitura de eccleſiis etiam cathedralibus, & metropolitanis, monaſteriis, dignitatibus, beneficiis, officiiſque eccleſiaſticis, quibuſcunque: necnon ordinibus ſacris, & benedictione ac pallio, de cætero nihil penitus ante vel poſt exigatur ratione literarum vel bullæ, ſigilli, annatarum communium & minutorum ſeruitiorum primorum fructuum deportuum, aut ſub quocunque alio titulo, colore, vel nomine, prætextu cuiuſuis conſuetudinis, priuilegij vel ſtatuti, aut alia quauis cauſa vel occaſione directè vel indirectè, ſolum ſcriptoribus abbreuiatoribúſque & regiſtratorib⁹ literarum ſeu minutarum pro illorum labore competenti ſalario ſoluendo.

priuilegia abuſiua reſciſas.

Notariis apoſtolicis ſolis debet ſalariũ

* Huic autem ſacro canoni ſi quis promittẽdo, exigendo, vel dando contrauenire præſumpſerit, pœnã incurrat, vt aduerſus ſymoniacos inflictã & in ipſis dignitatibus ac beneficiis taliter obtentis nullum ius ac titulum acquirat.

** Secũda pars.*

Pœna exigentium ſalarium.

Obligatio-

* Obligationes quoque promiſsiones, cenſuræ ac mandata, & quicquid in præiudicium decreti huius ſaluberrimi fieri contigerit, nullas obtinere vires atque irrita cenſeantur. * Et ſi (quod abſit) Romanus Pontifex, qui præ cæteris vniuerſalium conciliorum exequi & cuſtodire debet canones, aduerſus hanc ſanctionem aliquid faciendo eccleſiam ſcandalizet, generali concilio deferatur. cæteri verò pro modo culpæ, iuxta canonicas ſanctiones per ſuos ſuperiores digna vltione puniantur.

* Tertia pars.

Cenſuræ & eiuſcemodi reprobatæ.

* Quarta pars.

Pene contra inobedientes.

Verba ſunt congregationes eccleſiæ Gallicanæ quæ concedit Papæ Eugenio quarto vita comite duntaxat quintam partem fructuum beneficiorum vacantium, exceptis illis quorum ius patronatus, preſentatio, collatio, inſtitutio, vel prouiſio ad regem iure regaliæ, vel aliàs aut ad alium ſeu alios iure laico ſpectat, de quibus nihil ſoluetur. Guy.

Voluit tamen hæc congregatio pro inſtanti neceſſitate moderni Papę & ſacri collegij dominorum Cardinalium hodie notoriè ingruente, & etiam iuxta pollicitationem ſacri Baſilienſis concilij in ſuo decreto de electionibus in fine videlicet, quòd præfatus ſummus Pontifex modernus habeat eius vita durante duntaxat pro ſe & dominis Cardinalibus, ac cæteris officiariis curiæ Romanæ ex fructibus quarumcunque eccleſiarum, monaſteriorum quorumcunque beneficiorum ad decem libras vel amplius

taxatorum vacaturorum deinceps, alias quâm ex cauſa permutationis & ſimplicis reſignationis quintam illius taxæ, videlicet quæ olim per regem & eccleſias ſuorũ regni & Delphinatus tollerabatur pro tũc quo fuit concilium Cõſtantienſe inchoatum, ita quòd dicta quinta pars taxæ prædictæ non referatur ad illam taxam ad quam fuit facta vltima reductio per dictum Conſtantienſe concilium: ſed referatur ad illam in hoc caſu ex qua immediatè fuit ab eodem Conſtantienſi concilio facta ipſa reductio. prouiſio tamen quòd fructus & prouentus beneficij ſic taxati ad minus tantum valeant pro tempore quantum ipſa taxa.

Fructus quintę p. tis beneficiorũ oblat⁹ ab eccleſia Gallicana.

Item reſpectu aliorũ beneficiorũ dę quibus forſan aliter taxatio non inuenitur, ꝙ ſecundũ taxationẽ decimæ ſoluetur in hoc caſu, quinta pars ilius taxæ, ſummæ ſcilicet totalis quæ ipſa decima decies repetita reſultaret: hoc eſt quòd in hoc caſu ſoluantur duæ decimæ: prima, primo anno: & ſecunda, ſecundo anno: dum tamen illa totalis ſumma quæ ex illis decimis reſultat, ad minus ad decem libras aſcendat.

Item quòd huiuſmodi ſubuentio conceditur per modum ſolius doni gratuiti, & non aliàs: & ſine præiudicio libertatum eccleſiæ Gallicanæ, & duntaxat huius moderni Papæ

Donum gratuitũ.

vita

vita durante. Item quòd dicta quinta pars locum ſuum etiam obtinebit per quemcunque vbicunque, in curia vel extra: & quacunque auctoritate eccleſiaſtica, de ipſis eccleſiis, monaſteriis vel beneficiis quomodolibet, prætterquam ex cauſa permutationis aut reſignationis puræ & ſimplicis vt præfertur diſponatur, exceptis beneficiis quorum iure patronatus præſentatio, collatio, inſtitutio vel ad regẽ iure regaliæ vel aliâs, aut alium quemcunque vel alios iure laico ſpectat & pertinet de quibus nihil prorſus ſoluetur.

In cauſa ꝑmutationis & reſignationis non debetur quinta pars.

Exceptio iuris regaliæ regni Franciæ.

Vbi & in qua moneta, & quomodo debeat ſolui p..pæ Eugenij dicta quinta pars. Guy.

Item fuit deliberatum quòd quinta pars ſoluatur in partibus & in moneta vſuali auri vel argenti ad æſtimationem ſcilicet marchæ auri ſecundum valorem ſeptuaginta aureorum & collectori vel ſubcollectori & infra dioeceſim infra cuius limina erit ipſa eccleſia vel beneficium, ita quòd vna medietas dictæ quintæ partis ſoluatur eidem infra annum â tempore poſſeſsionis pacificæ, & alia medietas infra annum proximo ſubſequentem.

In qua ſpecie debẽt quinta pars fructuum.

Vbi, & coram quibus iudicibus debeant conueniri qui tenentur ad dictam quintam partem, Guy.

Item quòd ratione dictæ quintæ partis,

vel medietatis aut alterius portionis eiuſdem nō poſsint illi qui ad eam tenebuntur trahi extra dioceſim infra cuius metas eſt vel erit ipſa eccleſia, monaſterium aut beneficium: ſed habebit collector aut ſubcollector ante dictus recurſum ad ordinarios iudices contra non exemptos, & ſimiliter contra eos qui pro non exemptis ſunt cenſendi, iuxta quandam conſtitutionem concilij Conſtantienſis, quæ incipit ATTENDENTES. Contra verò exemptos qui ſuperiores in dioceſi in qua ſunt eccleſia, monaſterium, beneficiū vel officium, aut aliud miniſterium eccleſiaſticum quocunque nomine cenſeatur, noſcuntur habere, recurratur ad ſuperiores eorundem. quod ſi ſuperiores in dioceſi non habeant; vel ſi habeant & tamen negligentes fuerint, aut remiſsi, ad dioceſanos locorum recurratur, qui tamen apoſtolica vel ſynodali auctoritate (remota appellatione quacunque) habebunt facere indilatam iuſtitiam de prædictis, ita quòd ſi eccleſia, monaſterium, vel beneficium ſic taxatum vt præfertur contingat anno eodem bis vel pluries vacare, quod vna quinta pars ſemel tātum ſoluatur: videlicet quod ſi poſt fructus collectos ſeu perceptos aut acquiſitos contigerit vacatio, ad ſolutionem primæ medietatis quintæ partis prędictæ bona vltimi poſſeſſoris teneantur

Obligati ad quintā fructuum non extrahentur à dioceſi.

Supra de cauſis. §. itē quòd in...

Pro multiplici vacatione in vno anno ſola quinta debet.

tur & eius ſucceſſor in eccleſia vel beneficio ad aliam medietatem taxæ prædictæ intra primum annum pacificæ ſuæ primæ poſſeſsionis teneatur. Si verò ante collectionem, perceptionem vel acquiſitionem cõtigerit vacatio, ſucceſſor in dicto beneficio teneatur ad integram ſolutionem dictæ quintæ partis. Onus ſucceſſoris in beneficio

Omnes exactiones tam ratione vacantiarum q̃ pallij ſacri, & minutorum ſeruitiorum, ceſſabũt de cætero in curia Romana. Guy.

Item quòd ex nũc & de cætero penitus ceſſent & ceſſabunt in Romana curia omnes exactiones, tam ratione vacantiarum quàm ratione pallij ſacri, vel minutorum ſeruitiorum & aliæ quæcunque exactiones quouis nomine cenſeantur: excepto tamen moderato & competenti ſalario ſcriptorũ curiæ Romanæ, prout in ipſo decreto ſacri Baſilienſis concilij expreſſius continetur. & hoc ſub pœna perdendi ipſo facto gratiam de prouiſione antedicta reſpectu curiæ: & ſub pœna perditionis beneficij reſpectu prouiſi cõtrafacientis. & hoc per ſuum immediatum ſuperiorem qui in talibus caſibus habeat poteſtatem. Exactiones prohibitæ.

Aduiſamentum eccleſiæ Gallicanæ. Guy.

Item fuit viſum prædictæ congregationi q; in præmiſsis decretis & ipſorum quolibet apponatur per ſacrum concilium decretum irritans & grauium pœnarum adiectio, cum clauſulis Supplicatio eccleſię Gallicanæ.

opportunis contra quoſcunq; cuiuſcũq; aucto ritatis fuerint in cõtrariũ attẽtãtes ſeu faciẽtes.

Item acceptat decretum quomodo diuinũ officium celebrandum ſit.

QVOMODO DIVINVM OFFICIVM SIT CELEBRANDVM.

Diuiditur in quatuor partes, nam primò ponit breue exordium. Secundò quomodo tractim, reuerenter & honeſtè diuinum officium in eccleſiis ſit celebrandum. Tertiò tranſgreſſores punit. Quartò ſpeciales eccleſiarum conſuetudines & ſtatuta laudabilia approbat. Guy.

Argumẽtum à minore ad maius.

Si quis principem ſeculi rogaturus habitu honeſto, geſtu decenti, prolatione nõ pręcipiti, ſed diſtincta, attenta quoque mente ſeipſum ac verba ſtudeat cõponere, quãto diligentius in hoc ſacro loco omnipotẽtem oraturus Deum hęc omnia facere curabit? * Statuit igitur hæc ſancta ſynodus vt in cũctis cathedralibus ac collegiatis eccleſiis horis debitis, ſignis, cõgrua pulſatione præmiſsis laudes diuinæ per ſingulas horas nõ curſim ac feſtinanter, ſed tractim & cum pauſa decenti præſertim in medio cuiuſlibet verſiculi pſalmorũ debitã faciẽdo inter ſolenne & feriale officiũ differentiam, reuerenter ab omnibus perſoluantur, horas canonicas

* Secunda pars.

Reuerentia & honeſtas in celebratione diuini officij.

nicas

nicas dicturi cum tunica talari ac ſuperpelliciis mūdis vltra medias tibias longis, vel capis iuxta temporū & regionum diuerſitaté eccleſias ingrediantur, nō caputia ſed almutias vel birreta tenentes in capite, qui cum in choro fuerint grauitatem ſeruent, quam & locus & officium exigūt, non inſimul aut cum aliis confabulantes ſeu colloquentes, aut literas ſeu ſcripturas alias legentes, & cum pſallendi gratia ibidem conueniant, muta aut clauſa labia tenere non debēt. Sed omnes p̄ſertim qui maiori fungūtur honore in pſalmis, hymnis & canticis Deo alacriter modulentur. Cùm dicitur Gloria patri & filio & ſpiritui ſancto, omnes conſurgant. Cùm nominatur illud nomen glorioſum IESVS in quo omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtriū, & infernorum, omnes caput inclinent. Nemo ibidem dum horæ in communi cantātur, legat vel dicat priuatim officium. Nam non ſolùm obſequiū quo obnoxius eſt choro ſubtrahit, ſed alios pſallētes ꝑturbat. * Super his debitè obſeruādis, aliiſq; ad diuini officij proſecutionem ac chori diſciplinā ſpectātibus, decanus vel cui onus incūbit diligenter inuigilet, hincinde ne quid inordinatè fiat circunſpiciens. Horū auté tranſgreſſores illius horæ in qua circa prædicta exceſſerint, vel alia maiori prout tranſgreſſionis grauitas exegerit plectantur pœna.

* Tertia pars.

Trāſgreſſores à decano aut ab alio puniendi.

opportunis contra quoſcunq; cuiuſcũq; aucto ritatis fuerint in cõtrariũ attẽtãtes ſeu faciẽtes.

Item acceptat decretum quomodo diuinũ officium celebrandum ſit.

QVOMODO DIVINVM OFFICIVM SIT CELEBRANDVM.

Diuiditur in quatuor partes, nam primò ponit breue exordium. Secundò quomodo tractim, reuerenter & honeſtè diuinum officium in eccleſiis ſit celebrandum. Tertiò transgreſſores punit. Quartò ſpeciales eccleſiarum conſuetudines & ſtatuta laudabilia approbat. Guy.

Argumẽtum à minore ad maius.

Si quis principem ſeculi rogaturus habitu honeſto, geſtu decenti, prolatione nõ pręcipiti, ſed diſtincta, attenta quoque mente ſeipſum ac verba ſtudeat cõponere, quãto diligentius in hoc ſacro loco omnipotẽtem oraturus Deum hęc omnia facere curabit? * Statuit igitur hæc ſancta ſynodus vt in cũctis cathedralibus ac collegiatis eccleſiis horis debitis, ſignis, cõgrua pulſatione præmiſsis laudes diuinæ per ſingulas horas nõ curſim ac feſtinanter, ſed tractim & cum pauſa decenti præſertim in medio cuiuſlibet verſiculi pſalmorũ debitã faciẽdo inter ſolenne & feriale officiũ differentiam, reuerenter ab omnibus perſoluantur, horas canonicas

* Secunda pars.

Reuerentia & honeſtas in celebratione diuini officij.

nicas dicturi cum tunica talari ac ſuperpelliciis mũdis vltra medias tibias longis, vel capis iuxta temporũ & regionum diuerſitatẽ eccleſias ingrediantur, nõ caputia ſed almutias vel birreta tenentes in capite, qui cum in choro fuerint grauitatem ſeruent, quam & locus & officium exigũt, non inſimul aut cum aliis confabulantes ſeu colloquentes, aut literas ſeu ſcripturas alias legentes, & cum pſallendi gratia ibidem conueniant, muta aut clauſa labia tenere non debẽt. Sed omnes pſertim qui maiori fungũtur honore in pſalmis, hymnis & canticis Deo alacriter modulentur. Cùm dicitur Gloria patri & filio & ſpiritui ſancto, omnes conſurgant. Cùm nominatur illud nomen glorioſum IESVS in quo omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtriũ, & infernorum, omnes caput inclinent. Nemo ibidem dum horæ in communi cantãtur, legat vel dicat priuatim officium. Nam non ſolùm obſequiũ quo obnoxius eſt choro ſubtrahit, ſed alios pſallẽtes pturbat. * Super his debitè obſeruãdis, aliiſq; ad diuini officij proſecutionem ac chori diſciplinã ſpectãtibus, decanus vel cui onus incũbit diligenter inuigilet, hincinde ne quid inordinatè fiat circunſpiciens. Horũ autẽ tranſgreſſores illius horæ in qua circa prædicta exceſſerint, vel alia maiori prout tranſgreſsionis grauitas exegerit plectantur pœna.

* Tertia pars.

Trãſgreſſores à decano aut ab alio puniendis

* Saluis tamen laudibus conſuetudinibus, ſtatutis ac obſeruantiis ſpecialibus eccleſiarum ſingularum regni & Delphinatus.

* Quarta pars. Approbatio ſtatutorũ laudabilium.

Item acceptat decretum quo tempore quiſque debet eſſe in choro.

QVO TEMPORE QVISQVE DEBET ESSE IN CHORO.

Primò prouidet circa introitum & aſsiſtentiã in choro tẽpore diuinorum officiorũ. Secundò idem prouidet in proceſsionibus. Tertiò circa diſtributiones quotidianas tollendo duos abuſus. Guy.

De ingreſſu in choro.

QVI in matutinis ante finem pſalmi Venite exultemus: In aliis horis ante finẽ primi pſalmi. In miſſa ante vltimum kyrie eleyſon vſque in finem diuino officio nõ nterfuerit, niſi fortè neceſsitate cogẽte ac petita & obtenta à pręſidente chori licentia diſcedere oporteat pro illa hora abſens cenſeatur ſaluis eccleſiarum conſuetudinibus, ſi quæ circa hæc arctiores exiſtant. * Idem in his obſeruetur qui à principio vſq^e^ ad finem in proceſsionibus non permanſerint: pro cuius executione deputetur aliquis onus habens notandi perſonas ſingulas ſtatuto tempore non conuenientes, iuramento aſtrictus agere fideliter, & nulli

Apẽdix.

* Secũda pars.

Actus ꝓceſsionũ.

nulli parcere. * Iubet etiam hæc ſancta ſynodus quòd in illis eccleſiis in quibus ſingulis horis certæ diſtributiones ſtatutæ non ſunt, omnino etiam de groſsis fructibus ſi opus ſit deputentur, vt iuxta menſuram laborum plus minúsve quiſque capiat emolumenti. Tollentes prorſus abuſum illum quo in vna duntaxat hora præſens totius diei diſtributiones vſurpat, & illum quo præpoſiti vel decani, aut alij officiales ex hoc ſolum ꝙ officiales ſunt, licet actualiter pro vtilitate eccleſiæ non abſint, quotidianas diſtributiones percipiunt.

* Tertia pars.

Diſtributiones in æquales iuxta mẽſuram laborum.

Abuſus reformãdos.

Item acceptat decretum qualiter horæ canonicæ ſunt dicendæ extra chorum incipit.

QVALITER HORAE CANONICAE SVNT DICENDAE EXTRA CHORUM.

Docet hic qualiter horæ canonicæ ſint dicendæ tractim, reuerenter & diſtinctè. Guy.

QVOSCVNQVE etiam alibi beneficiatos, ſeu in ſacris cõſtitutos cum ad horas canonicas teneãtur, admonet hæc ſancta ſynodus, vt ſi orationes ſuas Deo acceptas fore cupiunt, vt non in gutture vel inter dentes ſeu deglutiendo aut ſyncopãdo dictiones vel col-

Modꝰ tenendus in orationibus. loquia vel riſus intermiſcendo: ſed ſiue ſoli, ſiue aſſociati diurnū nocturnúmq; officiū reuerenter verbiſq; diſtinctis peragant, ac tali in loco vnde à deuotione nō retrahantur, ad quem ſe diſponere & præparare debent, iuxta illud
Eccl. 2. c. quod ſcriptum eſt, Ante orationem præpara animam tuam, ne ſis quaſi qui tentat Deum.

Item acceptat decretum de his qui tempore diuinorum officiorum vagātur per eccleſiam.

DE HIS QVI TEMPORE DIVINORVM OFFICIORVM VAGANTUR per eccleſiam.

Primò ponitur beneficiatorum eccleſiæ, in ipſa tem ore diuinorum vagantium punitio. Secundò ex pertinacia pœnæ aggrauatio. Tertiò prohiben tur tumultuoſi diſcurſus per eccleſiam. Quartò regularium circa prædicta excedentium ponitur punitio. Guy.

QVICVNQVE in eccleſia beneficiatus, pręſertim de maioribus, diuinorum tempore per
Pœna vacātis per eccleſiā. eccleſiam vel foris circa ipſam deambulando, aut cū aliis colloquendo vagari viſus fuerit,
* Secunda pars. non ſolùm illius horæ, ſed totius diei præſentiam ipſo facto amittat. * Qui ſi ſemel corre-
Aggrauatio pœnę ꝑtinacis. ctus non deſtiterit, per mēſem diſtributionibus careat, vel grauiori (ſi pertinacia exegerit) pœ-
* Tertia pars. næ ſubiaceat, vt tandē deſiſtere cogatur. * Prohibetur

hibetur etiã ne diuina officia tumultuoſi quorũcunq; ꝑ eccleſiã diſcurſus impediãt aut perturbẽt. * Regulares qui in cõuẽtualibus eccleſiis circa prædicta excellerint graui pœna ſuperiorum arbitrio caſtigentur.

Deambulatio tumultuoſa ꝓhibita.

* Quarta pars.

Item acceptat decretum de tabula pendente in choro.

Pœna regularium.

DE TABVLA PENDENTE IN CHORO.

Se ſummat, & habet duas partes. Guy.

VT cuncta in domo Dei ordinaret procedant, & quilibet ſciat quid agẽdum imminet. Statuatur tabula aliqua continue pendens in choro, in qua quid per vnumquenque ex canonicis vel aliis beneficiatis in ſingulis horis per hebdomadam aut maius tempus cantandum, legẽdumve ſit deſcribatur. * Qui autem ſecũdum quod ibi deſcriptum fuerit facere per ſe vel alium neglexerit, pro qualibet hora diſtributiones vnius diei amittat.

Tabula choro pẽdens.

* Secũda pars.

Pœna negligentis.

Item acceptat decretum de his qui in miſſa non complent Credo in vnum Deũ, quod eſt ſymbolum & confeſsio noſtræ fidei, vſque ad finem: vel cantant cantilenas vel nimis baſſe miſſam legunt, aut ſine miniſtro.

DE HIS QVI IN MISSA NON COMPLENT CREDO, VEL CANTANT cantilenas, vel nimis baſſe miſſam legunt.

Primò damnat ſex abuſus in diuino officio, Secundò tranſgreſſores punit. Guy.

Cantibus ſeculares non cantandæ.

ABuſum aliquarum eccleſiarũ in quibꝰ, Credo in vnum deũ, quòd eſt ſymbolum & confeſſio fidei noſtræ, non completæ vſque in finem cãtatur, Aut præfatio ſeu oratio dominica omittitur: vel in eccleſiis cantilenæ ſeculares voci admiſcentur, ſeu in miſſa etiã priuata ſine miniſtro, aut præter ſecretas orationes ita ſubmiſſa voce dicitur quòd à circunſtãtibus audiri non poteſt abolentes * ſtatuimus, vt qui in his tranſgreſſor inuentus fuerit à ſuperiore debitè caſtigetur.

* Secũda pars.

Pœna tranſgreſſoribus.

Item acceptat decretum de pignorantibus cultum diuinum.

DE PIGNORANTIBVS CVLTVM DIVINVM.

Primò prohibet eccleſiam contrahere ſub pœna ceſſationis à diuinis, obligatióque nulla decernitur, Secundò punit contrahentes, Guy.

Abuſum

ABVSVM etiam cultui diuino manifeſtè derogantẽ, quo nõnulli eccleſiarum canonici cõtrahentes debita ſic ſe creditoribus obligant, vt niſi ſtatuto tempore ſatisfaciant, à diuinis ceſſent officiis: abolentes & obligationem huiuſmodi etiam ſi iureiurando firmata ſit, irritã decernentes. * Statuimus vt qui talem illicitũ contractum fecerint, trium menſium fructus ipſius eccleſiæ applicandos ipſo facto amittant: & quandiu diuina non reſumpſerint, nonnullos ex ipſa eccleſia prouentus percipiant.

Abuſus manifeſt

* Secũda pars.

Pœna canonicorũ illicitę cõtrahẽtiũ.

Item acceptat decretum de tenentibus capitula tempore miſſæ.

DE TENENTIBVS CAPITULA TEMPORE MISSAE.

Seſummat & habet dñas partes. Guy.

PROHIBET hæc ſancta ſynodus, vt tempore miſſæ maioris, præſertim diebus ſolennibus, capitula ſeu actus capitulares, aut alij tractatus per canonicos non celebrentur, niſi forte vrgens & euidens ingrueret neceſsitas. * Qui verò ad talem horam capitulũ indixerit à diſtributionib⁹ quotidianis per hebdoma-

Nõ capitulandum tempore maioris miſſæ.

* Secunda pars.

dam ſit ſuſpéſus: neque ipſi canonici pro illa hora ipſas diſtributiones luerentur.

Item acceptat decretum, de ſpectaculis in eccleſia non faciendis.

DE SPECTACVLIS IN ECCLESIA NON FACIENDIS.

Primò prohibet ſpectacula & alia ludibria, iocos, choreas, conuiuia & mercantias in eccleſia fieri & exerceri. Secundò punit tranſgreſſores. Tertiò renocat conſuetudines priuilegia & ſtatuta cõtraria. Guy.

Abuſus antiquorũ locorum cõuiuiorum in eccleſia introductorum.

TVrpem etiam illum abuſum in quibuſdam frequentatum eccleſiis qui in certis annis celebritatibus nonnulli cum mitra, baculo, ac veſtibus pontificalibus more epiſcoporum benedicunt: alij vt reges ac duces induti, quòd feſtum fatuorum, vel Innocentium ſeu Puerorum in quibuſdam regionibus nuncupatur. Alij laruales ac theatrales iocos, alij choreas ac tripudia marium ac mulierum facientes, vt homines ad ſpectaculum & cachinationes moueant, alij commeſſationes ac conuiuia ibidem præparant, hæc ſancta ſynodus deteſtans, ſtatuit & iubet tam ordinariis quàm eccleſiarum decanis & rectoribns ſub pœna ſuſpenſionis omnium prouentuum eccleſiaſticorũ triũ meuſium ſpatio, ne hæc aut ſimilia ludibria

Pœna rectoribus imponẽda

bria

bria neque etiam mercantias ſeu negociationes nũdinarum in eccleſia (quæ domus orationis eſſe debet) & etiã in cœmiterio exerceri amplius permittant. * Tranſgreſſoréſque per cenſuram eccleſiaſticam aliaque iuris remedia punire non negligant. * Omnes autem conſuetudines, ſtatuta, aut priuilegia quæ his num cõcordant decretis (niſi forte maiores adiicerent pœnas) irrita eſſe hęc ſancta ſynodus decreuit. Datum in ſeſsione publica Baſileę in maiori eccleſia ſolenniter celebrata, die Iouis nona mẽſis Iunii. Anno à natiuitate domini. M.CCCC. triceſimo quinto.

* Secũda pars.

* Tertia pars.

Antiqua ſtatuta ſuper his irrita.

Item acceptat decretum de concubinariis.

DE CONCVBINARIIS.

Vſque ad. §. ET NIHILOMINNS legitur. Et primo punit publicos concubinarios in perceptione fructuum beneficiorum. Secũdò prouidet vbi conuertantur huiuſmodi fructus. Tertiò punit publicos concubinarios poſt monitonem priuatione beneficiorum. Guy.

QVICVNQVE clericus cuiuſcunque conditionis, ſtatus religionis, dignitatis, etiam ſi pontificalis vel alterius præeminentiæ, exiſtat, qui poſt huius conſtitutionis notitiam, quam habere præſumatur, per

Pœna publici concubinarij

duos menſes poſt publicationem eiuſdem in eccleſiis cathedralibus quàm ipſi diœceſani omnino facere teneantur, poſtquam eadem conſtitutio ad eorum notitiam peruenerit, fuerit publicus concubinarius, à perceptione fructuum omnium beneficiorum ſuorum trium menſiũ ſpatio ſit ipſo facto ſuſpenſus. * Quòs ſuus ſuperior in fabricam vel aliam euidentem eccleſiarum vtilitatem ex quibus hi fructus percipiuntur conuertat.

* Secũda pars.

Pœna in vtilitatem fabricę.

* Tertia pars.

* Necnon & huiuſmodi publicum concubinarium vt primũ talem eſſe innotuerit, mox ſuus ſuperior monere teneatur, vt infra breuiſſimum terminum cõcubinam dimittat. Quòd ſi dimiſerit, vel dimiſſam, aut aliam publicè reſumpſerit, iubet hæc ſancta ſynodus, vt ipſum omnibus ſuis beneficiis omnino priuet.

Aggrauatio pœnæ in cõtumaces concubinarios.

Legitur vſque ad. §. QVOD SI HI. Et primò punit concubinarios publicos inhabilitatione ad ordines, & beneficia reſeruata ſuperioribus diſpenſatione. Secundò prorſus inhabiles reddit ſi poſt diſpenſationem concubinam reaſſumant. Guy.

Cõcubinarij inhabiles ſunt ad honores & dignit. ſuſcipiendas

Et nihilominus hi publici concubinarij vſquequo cum eis per ſuos ſuperiores poſt ipſarum concubinarum dimiſſionem manifeſtam, queq; vitę emendationem fuerit diſpenſatum ad ſuſceptionem quorumcunque honorum, dignitatum,

tatum,beneficiorum,oſſiciorúmve ſint inhabiles. * Qui ſi poſt diſpenſationem recidiuo vomitu ad huiuſmodi publicum concubinatum redierint,ſine ſpe alicuius diſpẽſationis ad prędicta prorſus inhabiles exiſtant.

* Quarta pars.

Inhabiles clerici ad vomitum redeũtes.

Legitur vſque ad.§. PVBLICI AVTEM.Et primò prouidet contra negligentes punire publicos concubinarios.Secundò contra maiores concubinarios quorum deſtitutio ad Romanum Pontificem ſpectat.Tertiò contra regulares. Quartò contra occultos concubinarios. Guy.

Quòd ſi hi ad quos talium correctio pertinet eos (vt prædictum eſt)punire neglexerint, eorum ſuperiores tam in ipſos de neglectu quàm in illos pro cõcubinatu modis omnibus digna punitione animaduertant .In cõciliis etiam prouincialibus & ſynodalibus aduerſus tales punire negligentes,vel de hoc crimine diffamatos etiam per ſuſpenſionem à collatione beneficiorum, vel alia condigna pœna ſeueriter procedatur.

Officiarij negligentes puniẽdi.

* Secunda pars.

* Et ſi hi quorum deſtitutio ad ſummũ Pontificem ſpectat per concilia prouincialia aut ſuos ſuperiores propter concubinatum publicum reperiantur priuatione digni,ſtatim cum proceſſu inquiſitionis ipſi ſummo Pontifici deferantur. * Eadem diligentia & inquiſitio in quibuſcunque generalibus capitulis & prouincialibus quo ad ſuos ſeruentur. * Pœnis aliis

Romano pontifici ſpectat corectio ſuperiorũ

* Tertia pars.

* Quarta pars.

Pœnæ cõtra occultos cõcubinarios.

contra prædictos & alios non publicos concubinarios ſtatutis in ſuo robore permanſuris.

QVI DICATVR PVBLICI CONCVBINARII ET SE ſummant.

Diffinitio publici concubinarij.

Publici autem intelligendi ſunt, non ſolùm hi quorum concubinatus per ſententiam, aut confeſſionem in iure factam, ſeu per rei euidentiam quæ nulla poſſit tergiuerſatione cælari notorius eſt, ſed qui mulierem de incontinentia ſuſpectam & diffamatam tenet, & per ſuum ſuperiorem admonitus, ipſam cum effectu non dimittit.

Legi ur vſque ad. §. IVBET. Et primò interdicit quæſtu pecuniarios pro concubinatu percipere. Secuudò punit ranſgreſſores. Tertiò p ohibet circa concubinas expellendas. Quartò circa ſpurios expellendos à cohibitatione patrum: Guy.

Quia verò in quibuſdam regionibus nonnulli iuriſdictionem eccleſiaſticam habentes, pecuniarios quæſtus à concubinariis percipere non erubeſcunt, patiendo eos in tali fœditate ſordeſcere, ſub pœna maledictionis æternæ pręcipit ne deinceps ſub pacto, compoſitione aut ſpe alicuius quæſtus talia quouiſmodo tollerét aut diſſimulét. * Alioquin vltra præmiſſam negligétiæ pœnam, duplum eius quod propterea

* Secũda pars.

acceperint reſtituere & ad pios vſus conuertere teneantur & compellantur. * Ipſas autem concubinas aut mulieres ſuſpectas prælati omnibus modis curent à ſuis ſubditis, etiam per brachij ſecularis inuocationem(ſi opus fuerit) penitus arcere. * Qui etiam ex tali cõcubinatu procreatos filios apud patres ſuos cohabitare non permittant. * Tertia pars. * Quarta pars.

Primò incitat prælatos vt omnes ſubditos ad dimiſsionem concubinarum moneant. Secũdò prohibet impedimentum fieri prælatis concubinarios inſurgentibus. Tertiò monet laicos à concubinatu abſtinere. Guy.

Iubet inſuper hæc ſancta ſynodus vt etiam in prædictis ſynodis & capitulis hæc conſtitutio publicetur, vt quilibet ſuos ſubditos ad ipſarum concubinarum dimiſsionem moneat diligenter. * Iniungit prætereà omnibus ſecularibus viris(etiam ſi regali præfulgeant dignitate)ne vllum qualecunque inferant impedimentum quocunque quæſito colore prælatis qui ratione officij ſui aduerſus ſubditos ſuos pro huiuſmodi concubinatu procedunt. Conſtitutio concubin. publicanda. * Secũda pars.

* Et cũ omne fornicationis crimen lege diuina prohibitum ſit, & ſub pœna peccati mortalis neceſſario euitandum, monet omnes laicos tam vxoratos quàm ſolutos vt ſimiliter à concubinatu abſtineant, Nimis enim reprehen- * Tertia pars. Laici à concubinatu abſtineant.

ſibilis eſt qui vxorem habet & ad aliam mulierem accedit. Qui verò ſolutus eſt ſi continere nolit, iuxta Apoſtoli conſilium vxorem ducat. (1. ad Co. 7) Pro huiuſmodi autem diuini obſeruantia præcepti, hi ad quos pertinet tam ſalutaribus monitis, quàm aliis canonicis remediis omni ſtudio laborent.

Item acceptat decretum de excommunicatis non vitandis.

DE EXCOMMVNICATIS NON VITANDIS.

Primò ponitur cauſa conſtitutionis. Secundò ponitur conſtitutio de excommunicatis, ſuſpenſis & interdictis non vitandis: duobus caſibus exceptis. Tertiò ponitur proteſtatio de non releuando propterea huiuſmodi excommunicatos, ſuſpenſos & interdictos. Guy.

Cauſa decreti. * Secūda pars.

AD vitandum ſcandala & multa pericula, ſubueniendúmque conſcientiis timoratis. * Statuit quòd nemo deinceps à communicatione alicuius in ſacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcunque diuinis, vel extra prætextu cuiuſcunque ſententiæ, Aut cēſuræ eccleſiaſticæ ſeu ſuſpenſionis aut prohibitionis ab homine vel à iure generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, vel interdictum eccleſiaſticum obſeruare, niſi ſententia,

Excōicatos nō fugiendos.

tentia, prohibitio, ſuſpenſio, vel cenſura huiuſmodi fuerit in vel contra perſonam, collegiũ, vel vniuerſitatem, eccleſiam, aut locũ certum: aut ſaltem à iudice publicata & denũciata ſpecialiter & expreſſe: niſi aliquem ita notoriè in excõmunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, ꝙ nulla poſsit tergiuerſatione cælari, aut aliquo iuris ſuffragio excuſari. Nam à communione illius abſtineri vult iuxta canonicas ſanctiones. * Per tamen huiuſmodi excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos ſeu prohibitos nõ intendit in aliquo releuare: nec eis quomodolibet ſuffragari. Item acceptat decretum de interdictis indifferenter non ponendis.

Exceptio prima.

Exceptio, ij.

* Tertia pars.

Quorum excõicat. eccleſia interdicit

DE INTERDICTIS INDIFFERENTER NON PONENDIS.

Primò ponitur cauſa cõſtitutionis. Secundò cõſtitutio prohibitoria deferendo interdicto in locũ ob culpam pri[illegible]æ perſonæ illius loci. Tertiò caſum excipit. Quartò extendit conſtitutionem ad pendentia. Guy.

QVONIAM ex indiſcreta interdictorum promulgatione multa conſueuerũt ſcandala euenire. * Statuit hæc ſancta ſynodus ꝙ nulla ciuitas, oppidum, caſtrũ, villa, aut locus eccleſiaſtico ſupponi poſsit interdicto, niſi

Scandala ex interdictione.

* Secunda pars. Qui non debẽt interdici.

ex cauſa ſeu culpa ipſorum locorũ,aut domini ſeu rectoris vel officialium. Propter culpam autem ſeu cauſam alterius cuiuſcunque priuatæ perſonę huiuſmodi loca interdici nequaquam poſsint auctoritate quacunque ordinaria vel delegata, * niſi talis perſona prius fuerit excommunicata ac denunciata, ſeu in eccleſia publicata,ac domini ſeu rectores vel officiales ipſorum locorum auctoritate iudicis requiſiti huiuſmodi perſonam excommunicatam intra biduum inde cum effectu non reiecerint,aut ad ſatisfaciendum compulerint,qua etiam poſt biduum eiecta recedente vel ſatiſfaciente mox diuina reſumi poſsint. * Quòd etiam in pendentibus locum habebit.

Exceptio prima.

Ob culpã nõ interdicendũ.

* Tertia pars.

Exceptio ſecunda.

* Quarta pars.

Extenſio

Item acceptat decretum de ſublatione Clementinæ Literis.

DE SVBLATIONE CLEMENTINAE LITERIS.

Se ſummat. Hoc decretum factum eſt ante diſſolutionẽ cõcilij Baſilienſis,vt patet ex data. Guy.

LICET IN apoſtolicis vel aliis literis quibuſcunque aliquem dignitati, beneficio, aut iuri cuicunq; renunciaſſe aut priuatũ eſſe, ſeu aliquid aliud egiſſe per quod ius ꝓprium auferatur,narratũ ſit, huiuſmodi literæ

Non credendũ verbis niſi ꝓbentur.

in his

in his non præiudicent etiam ſi ſuper ipſis gratia vel intentio narrantis fundetur, niſi per teſtes, aut alia legitima conſtiterit documenta. Datum in ſeſsione publica huius ſanctæ ſynodi in eccleſia maiori Baſilieñ ſolẽniter celebrata, nono Calendas Aprilis, Anno domini Milleſimo quadringenteſimo triceſimoſexto.

Legitur vſque ad finem, & diuiditur in quatuor partes. Nã ptimò ponitur concluſio eccleſię Gallicanæ Bituris facta ſuper acceptatione decretorũ Baſilienſiũ. Cæterę partes patẽt in locis ſuis. Guy.

Demum concluſit prælibata congregatio, vt decreta ipſa de quibus viſum eſt quod debeant ſimpliciter acceptari, ex nunc ſimpliciter acceptentur, & executionem ſortiantur, atque ex nunc effectui realiter mancipentur. Et similiter illa decreta circa quæ fuerunt factæ prænotatæ modificationes, de quibus ſuperius dictum eſt, ex nunc cum ipſis ſcilicet modificationibus acceptentur, prout etiam acceptãtur, ſub ſpe, ſcilicet quòd ipſæ modificationes per ſacrum concilium admittentur. Pro quo regij oratores inſtabunt vice regia eccleſiæ regni & Delphinatus.

Aſſenſus gallicanæ eccleſiæ.

Et poſtremò viſum fuit prædictæ congregationi inſtandum fore omnino apud regem vt ipſe ex nunc decreta eadem iuxta modos prænotatos acceptet & approbet, man-

Cõcluſio congregationis eccleſiæ gallicanę.

dando diſtrictæ ex nũc curiæ parlamenti & aliis iuſtitiariis regni & Delphinatus, ac aliorũ dominorum regni, quatenus de puncto in punctũ præmiſſa inuiolabiliter & in perpetuũ obſeruent & ſeruari faciant. Tranſgreſſores & cõtrafacientes taliter puniendo quòd cæteris in poſterum cedat in exemplũ. Et ſuper hoc conficere Pragmaticam ſanctionem.

Vñ pragmatica ſanctio.

Secunda pars, in qua ponitur ſupplicatio eccleſiæ Gallicanæ ad regem ſuper protectione dictorum decretorum. Guy.

Ea ꝓpter nobis humiliter ſupplicauerũt memorati archiepiſcopi, epiſcopi, capitula notabilia decani, abbates, cæteriq; prælati & viri eccleſiaſtici atq; ſciẽtifici vniuerſitatũ ſtudiorũ generalium regni eccleſiam prædictam regni & Delphinatus noſtrorũ prædictorum repreſentantes, quatinus eorũ deliberationibus & concluſionibus, ſic ſecundũ Deum iuſtitiam & ſynceritatem conſcientiarũ ſuarum acceptis tam reſpectu præfatorum decretorum & canonum ipſius ſacroſanctæ generalis ſynodi Baſilienſ. q̃ aliàs in his quę pro vtilitate Reipu. eccleſiæ regni & Delphinatus noſtrorũ fuerit inter eoſdẽ deliberata & concluſa regiũ noſtrũ conſenſum prebere, eáque protegere efficaciter & exequi, ac inuiolabiliter per omnes ſubditos noſtros obſeruari facere & mandare dignaremur.

Aſsiſtantes in cõgregat. Bituricẽ.

Tertia pars, in qua ponit̃ regis approbatio mandantis

dãtis huiuſmodi decreta in regno publicari. Guy.

Nos igitur attendentes ꝙ ſicut ſacerdotes debitores ſunt vt veritatem quam audierunt à Christo liberè prædicét, ſic princeps debitor eſt vt veritaté quam audiuit à ſacerdotib⁹ approbatã quidẽ ſcripturis defendat fiducialiter & efficaciter exequatur. Premiſsis & aliis iuſtis & rationabilibus cauſsis premoniti, habita etiã ſuper his deliberatione digeſtiſsima cũ prædictis principibus noſtræ regalis proſapiæ ac aliis magnatibus, proceribus multiſq; viris prudentibus & ſcientificis eccleſiaſticis & ſecularibus regni & Delphinatus noſtrorũ nobis in concilio noſtro magno aſsiſtentibus, eorundem prelatorum & aliorum eccleſiaſticorũ eccleſiam regni & Delphinatus noſtrorũ repreſentantium, ſupplicationem & requeſtam iuſtam & rationabilem, & ſanctorũ patrum decretis conformem, omniq; æquitate ſubnixã, agnoſcentes prædictas ipſorum archiepiſcoporũ, epiſcoporum, cæterũmq; prælatorum & virorum eccleſiaſticorũ noſtrorum regni & Delphinatus, deliberationes & concluſiones gratas & acceptas habuimus & habemus, eiſdémq; cõſenſum noſtrum regium præbuimus & præbemus per preſentes: Volentes & ordinantes omnes & ſingulas deliberationes & concluſiones prædeclaratas in noſtris regno & Delphinatu, cæteriſq; domi-

Approbatio cõcilij à regi Frãciæ Carolo. 7

niis perpetuo teneri atque inuiolabiliter obſeruari: ſuúmque plenum & integrum à die datæ præſentium pœnitus ſortiri effectum abſq; alia publicatione ſeu promulgatione. Et nihilominus publicari & inter regias & delphinales ordinationes regiſtrari mandamus.

Voluntatis regia.

Quarta pars, in qua iniũgit rex omnibus ſuis officiariis & ſubditis quòd illa omnino ſeruent & tueantur. Guy.

Quocirca dilectis & fidelibus cõſiliariis noſtris præſens tenentibus, & qui in futurum noſtra tenebũt parlamenta, omnibúſque iuſtitiariis regni & Delphinatus noſtrorũ, cæteríſq; officiariis & ſubditis noſtris: & eorũ cuilibet prout ad eum pertinuerit, mandamus, diſtrictius iniungentes, quatinus omnia præmiſſa & ſingula teneant, cuſtodiant, & cõſeruant in ſua roboris plenaria firmitate, & in cauſsis quibuſcũque occaſione pręmiſſorũ de cætero orituris & emerſuris ſecundum deliberationes & concluſiones prædeſcriptas iudicent, pronuntient, & ſententient, atq; ab omnibus ſubditis & incolis noſtrorũ regni & Delphinatus inuiolabiliter faciant in omnibus & per omnia obſeruari prædictas pſonas eccleſiaſticas & ſeculares, ac eorum quamlibet in omnibus & ſingulis ſuperius expreſsis, ab omni turbatione, violẽtia, impreſſione, moleſtatione, vexatione, dãno, impedimento & diſturbatio tueantur: prorogant pariter

Mãdatũ regium ſuper publicatione.

riter & defendant, omnéſq; & quaſcũque perſonas cuiuſuis conditionis ac ſtatus fuerint. cõtrafacientes aut venientes taliter puniendo ꝙ in poſterum cæteris cedat in exemplum, quoniam ſic fieri volumus & iubemus per præſentes. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus literis duximus apponendum.

Datum Biturís ſeptima die mẽſis Iulij, Anno domini Milleſimo quadringenteſimo triceſimooctauo, & regni noſtri decimoſexto. Sic ſignatũ in plica in ſuperiori parte, Per Regem, in ſuo magno conſilio, in quo dominus Delphinus Viennenſis, domini dux Borbonij, Carolus de Andegauia, Comes Cenomaniæ, Petrus filius ducis Britanniæ, necnon comites de Marchia & Vindocinio, & de Tancaruilla, prælati proceréſque, ac alij viri eccleſiaſtici & ſeculares quamplurimi erant. N. de Firbois. In inferiori parte plicæ prædicta erat ſic ſcriptum, Collatio facta cum originali literarum præinſertarum atque incorporatarum. N. de Firbois. Et in dorſo extitit deſcripta publicatio in dicta curia Parlamenti facta ſub hac forma. Lecta, ac publicata Pariſius, in Parlamento, die decimatertia Iulij, Milleſimo quadringenteſimo triceſimonono. Domini Franciæ.

Sic ſignatum CENETHEAV.

LA RECEPTION ET MODIFICATION DES FACVLTEZ DE Monſeigneur le Legat.

VEV PAR la Court, toutes les Chãbres aſſemblées, les trois bulles de noſtre ſainct pere le Pape. Par la premiere deſquelles il a creé Legat a latere iuſques a vn an le Cardinal de Boiſy. Par la ſeconde qu'il puiſſe vſer de telles & ſemblables facultez dont vſoit le feu Cardinal d'Amboyſe, en ſon viuant Legat en Frãce. Et par la tierce que l'an de ſa legation commence à Calendis Septembris. Les lettres patentes du Roy, de la reception de ladicte legation. Les plaidoyers faictz en icelle Court par le Procureur general du Roy, le troiſieſme iour de ce moys, & par l'Vniuerſité de Paris le iourd'huy. Et tout conſideré la Court a ordonné & ordonne que leſdictes trois bulles octroyées ꝑ noſtre ſainct Pere audict Cardinal de Boiſy, enſemble les lettres patentes dudict Seigneur, de la reception de ladicte legation ſeront enregiſtrées en icelle Court, pour en vſer par icelluy Cardinal es choſes qui ne ſont contraires, derogantes ne preiudiciables aux droictz & prerogatiues

du Roy

du Roy & du royaume, ne contre les ſainctz concilles,droictz de vniuerſitez,libertez de legliſe Gallicane, & ordonnances royaux,& ſelon les facultez données par les predeceſſeurs de noſtredict ſainct Pere audict feu Cardinal Damboyſe,leſquelles ſont enregiſtrées en ladicte Court, & non aultres. Sans ce toutesfois que icelluy cardinal de Boiſy puiſſe commettre ou deputer en ſon abſence ou aultrement aucun vicaire ou ſubſtitud ayant pareilles puiſſances & facultez que luy : Mais pourra commettre vng regent de ſa Chancellerie & aultres officiers pour exercer ladicte legation. Et de ce que dict eſt baillera icelluy Cardinal lettres au Roy qui ſeront apportées deuers ladicte court pour eſtre enregiſtrées en icelle.
Faict en Parlement le.v.iour de Septembre,Lã mil cinq cens.xix.

BVLLA LEGATIONIS.

FACVLTAS conferendi & commendandi beneficia etiam reſeruata ac reſeruationes concedendi.

Facultas commendãdi beneficia ſecularia & regularia.

Facultas admittendi reſeruationes conferendi beneficia.

Facultas conferendi beneficia per non promotionem.

Facultas conferẽdi beneficia familiarium ſuorum.

Facultas vniendi beneficia.

Facultas diſpenſandi ad beneficia ſecularia & regularia Haben. obſten. beneficiales pro expreſsis & abſoluendi à cenſuris ad effectum.

Facultas diſpendendi ad duo beneficia incomparabilia curata.

Facultas diſpenſandi ad duo beneficia.

Facultas concedendi licentiam quòd licet exeat prouinciam nihilominus remanet legatus.

Facultas compellendi quoſcunque ad docendum de titulis beneficiorum conferendorum.

Facultas procedendi contra crimino ſos & priuandi eos, & reformandi beneficia eorum.

Facultas diſpenſandi cum mendicantibus ad vnum.

Facultas erigendi domos & monaſteria.

Facultas concedendi religioſis vt ad ſtudium peruenire poſſint.

Facultas

Facultas concedendi familiaribus de fructibus percipiendis in abſentia.

Facultas concedendi vſum pontificalium.

Facultas concedendi licentiam viſitandi per procuratorem.

Facultas viſitandi capitula, collegia etiam exẽpta.

Facultas conſecrandi & reconſiliandi eccleſias.

Facultas ſuper natalium defectu diſpenſandi.

Facultas diſpenſandi ſuper defectu natalium quo illo non obſtente poſsint ad ordines promoueri, & beneficia obtinere.

Facultas diſpenſandi ſuper natalium defectu ad ſucceſsionem in bonis.

Facultas concedendi facultatem teſtandi.

Facultas diſpenſandi in tertio & quarto conſanguinitatis & affinitatis gradibus ac cognitione ſpirituali.

Facultas diſpenſandi ſuper defectu ætatis ad beneficia.

Facultas diſpenſandi in corpore viciatos.

Facultas diſpenſandi illis qui bellicis actibus interfuerint.

Facultas diſpenſandi cum prælatis, & aliis qui bellicis actibus interfuerint.

Facultas diſpenſandi cum familiaribus vt ex-

tra tempora promoueri poſſint.

Facultas promouendi extra tempora.

Facultas concedēdi vt promoueri poſſint, &c. extra tempora vno vel duobus diebus ad omnes ſacros ordines.

Facultas concedendi altare portatile ſimplex.

Facultas concedendi altare portatile ante diem.

Facultas concedendi altare portatile in locis interdictis.

Facultas concedendi altare portatile cũ clauſula ante diem & tempore interdicti.

Facultas concedendi confeſsionalia.

Facultas concedendi tabellionatus officium.

Facultas concedendi, &c. clericis & presbyteris tabellionatus officium.

Facultas reformandi ſtudia & collegia, &c.

Facultas concedendi conſeruationibus in forma.

Facultas promouendi ad gradus.

Hortatio ad prælatos in fauorem Reipublicæ Chriſtianæ.

Hortatio ad principes cõtra Turchos.

Facultas ſuper decimas componendi.

Facultas compellēndi collectores & ſubcollectores ad reddendum rationem.

Facultas concedendi indulgentiam eccleſiis, &c.

Facultas concedendi indulgentias quando coram ſe fecit celebrare & Parlamẽtum tenuerit.

Facultas concedendi in vita & in mortis articulo plenariam remiſsionem familiaribus cardinalis.

Facultas concedendi indulgentiam plenariam intereſſentibus miſſę ſuæ: & deinde certorum annorum.

Facultas concedendi licentiam viſitandi loca terrę ſanctę.

Facultas vota commutandi.

Facultas faciendi recipi duodecim perſonas in fratres hoſpitales ſancti Iohannis Hieruſalem.

Facultas concedendi licentiam tradendi bona eccleſiæ propter euidens commodum eccleſiæ.

Facultas committendi cauſas.

Facultas procedendi contra detinentes vaſa eccleſiaſtica.

Facultas contra vſurarios procedẽdi.

Facultas deferendi prohibita ad partes infidelium.

Facultas interdicta ſuſpendendi.

Facultas maioris pœnitentiæ.

Facultas deputandi duos pœnitẽtiarios qui abſoluent in caſibus pœnitentiarij maioris.

Facultas tollendi interdicta ratione debitorũ.

Facultas abſoluẽdi eos qui manus violẽtas inieccerunt in perſonas eccleſiaſticas.

Facultas abſoluẽdi quaſcunque perſonas â quibuſcunque cenſuris & diſpenſandi.

Facultas relaxandi interdictum.

Facultas abſoluẽdi ab oppreſsionibus.

Facultas abſoluendi â quibuſcunque illicitis iuramentis.

Facultas abſoluendi ſacerdotem & alios nõ ritè promotos.

Facultas abſoluendi eos qui horas canonicas omiſerunt.

Facultas abſoluendi criminoſos deprecatores etiam diſpenſandi, &c.

Facultas abſoluendi apoſtatas.

Facultas abſoluendi ſymoniacos & conferendi beneficia ſymoniacæ adepta.

Facultas abſoluendi & habilitandi hæreticos.

Facultas de tertio incompatibili diſpenſandi.

Facultas & indultum creandi protonotarios.

Facultas conferendi beneficia in diœceſi Rothomagenſi indultum ſuper monaſteriis.

Facultas vtendi legatione etiam vltra montes in regnis dominiis regi Franciæ ſubiectis.

Facultas de fructibus percipiendis in abſentia.

Fin des facultez du Legat.

REGVLAE, ORDINATIONES, & Conſtitutiones Cancellariæ Romanæ curiæ, cõmunes & generales.

SANCTISSIMVS in Chriſto pater, & dominus noſter, dominus N. diuina prouidentia Papa N. ſuorum prædeceſſorum veſtigiis inhærendo normam, & ordinem rebus gerendis dare volens in craſtino aſſumptionis ſuæ, videlicet die N. menſis N. anni D.M. N. reſeruationes, conſtitutiones, & regulas infrà ſcriptas fecit, quas etiam ex tunc ſuo tẽpore duraturas obſeruari voluit, & quas nos N. Diaconus Cardinalis ſanctæ Romanæ eccleſiæ Vicecancellarius, die N. menſis N. anni prædicti in Cancellaria Apoſtolica publicari fecimus.

RESER-

RESERVATIONES GENERALES, & ſpeciales: & primò conſtitutionum ad regimen, & execrabilis.

IN primis reſeruationes fecit ſimiles illis quę in conſtitutione fe.re. Benedicti papæ XII. quæ incipit, Ad regimẽ, cõtinentur, & illos locum habere voluit, etiam ſi officiales in eadem conſtitutione expreſsi Apoſtolicæ ſedis officiales ante obitum eorũ eſſe deſierint, quo ad beneficia, quæ tempore, quo officiales erãt obtinuerãt, ac reſeruauit beneficia quæ per cõſtitutionem piæ memoriæ Io. papæ XXII. quæ incipit, Execrabilis, vacãt, vel vacare cõtigerit.

RESERVATIO CATHEDRALIUM eccleſiarum, & monaſteriorum valorem ducentorum florenorum excedentium.

ITem, reſeruauit generaliter omnes eccleſias patriarchales, primitiales, archiepiſcopales, epiſcopales, necnon omnia monaſteria virorum valorem ducentorum florenorum auri communi æſtimatione excedentia, & voluit quòd exceſſus huiuſmodi in literis exprimatur

matur. Reſeruauit dignitates poſt pontificales maiores in cathedralibus etiã metropolitanis,& principales in collegiatis,ac dignitates conuentuales, quorumcunque ordinum, ſed non militiarum, necnon ſuorum,& Cardinaliũ familiarium beneficia.

ITEM reſeruauit generaliter diſpoſitioni ſuæ omnes dignitates maiores poſt pontificales in cathedralibus & metropolitanis,ac principales in collegiatis eccleſiis, valorem decem florenorum auri communi æſtimatione excedentes:necnon prioratus,præpoſituras,præpoſitatus, ac alias dignitates conuentuales,& præceptorias generales ordinum quorumcunque,ſed non militiarum,ac quæcunque beneficia quæ ſui etiam dum Cardinalatus fungebatur honore exiſtentes,& ſanctæ Romanæ eccleſiæ viuentium nunc,& qui erunt ſuo tempore Cardinalium familiares continui commenſales obtinent,& impoſterum obtinebunt eorum familiaritate durante,ac in quibus,ſeu ad quæ ius eis competit,aut competierit,etiam ſi ab ipſa familiaritate per obitum Cardinalium eorundem,vel aliàs receſſerint,ac fe.re.Pauli ij.& Innocẽtij.viij.Romanorum pontificum prædeceſſorum ſuorum veſtigiis inhærendo declarauit dignitates,quæ in cathedralibus,vel metropolitanis poſt pontificales non maiores exiſtunt,& quæ ex Apoſtolicæ ſedis indulgẽtia,vel ordinaria auctoritate aut cõſuetudine præ-

ſcripta, vel aliàs quouis modo in collegiatis eccleſiis principalem præeminentiam habere noſcuntur ſub reſeruatione prædicta comprehendi debere.

RESERVATIO BENEFICIORUM collectorum & ſubcollectorum.

ITEM reſeruauit generaliter omnia beneficia eccleſiaſtica quorumcunque collectorum, & vnicorum in quacunque ciuitate vel diœceſi, qui ſuo tempore eorum officia exercuerint, ſubcollectorum fructuum, & prouentuum cameræ Apoſtolicæ debitorum, illa videlicet beneficia duntaxat, quæ durante eorum officio obtinuerint, ac in quibus, ſeu ad quæ ius tunc eis competierit.

RESERVATIO BENEFICIORVM curialium dum curia tranſfertur.

ITEM reſeruauit omnia, & ſingula beneficia eccleſiaſtica quorumcunque curialium, quos dum Curia Romana de loco ad locum tranſfertur, eam ſequendo decedere contigerit, & in quouis loco quantumcunque etiam à dicta Curia remoto.

Reſeruatio

RESERVATIO BENEFICIORVM cubiculariorum, ac curſorum ſuorum.

ITEM reſeruauit generaliter idem D.N. Papa diſpoſitioni ſuæ omnia beneficia cubiculariorum, & curſorum ſuorum.

RESERVATIO BENEFICIORVM ſancti Petri, ſancti Ioannis Lateraꝰ. & ſanctæ Mariæ maioris de vrbe eccleſiarum, ac beneficiorum Cardinaliũ à Romana Curia abſentium.

ITEM reſeruauit diſpoſitioni ſuæ generaliter quoſcunque canonicatus, & præbendas: ac dignitates, perſonatus, & officia in principis Apoſtolorum ſancti Ioannis Lateranen. ac beatæ Mariæ maioris de vrbe eccleſiis, necnon ad collationem, prouiſioné, & præſentationem, ſeu quamuis aliam diſpoſitionem ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinaliũ à Romana curia abſentiũ ratione ſuorum epiſcopatuũ Cardinalatus, & ipſorum Cardinalium titulorũ ſpectantia, quandiu abſentia ſua durauerit canonicatus, & præbendas, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia, cæteraque beneficia eccleſiaſtica cum cura, vel ſine cura vacantia, & inanteà vacatura, tam in eadem vrbe quàm in eccleſiis, ciuitatibus, & diœceſibus dictorum epiſcopatuũ

conſiſtentia, ac decreuit irritum, &c.

ITEM voluit idem dominus noſter Papa quòd conceſſa per Clementem prædeceſſorem ſuum, & de eius mandato expediâtur in forma rationi congruit, ſub die coronationis ſuæ, vt moris eſt: & idem quo ad conceſſa per fœlicis recordationis Leonem Papam x. & Adrianum Papam vj. etiam prædeceſſores ſuos ad ſex menſes duntaxat ab ipſa die coronationis incipiendos obſeruari voluit.

RESERVATIO OMNIVM ECCLEſiarum, quas prædeceſſores tempore obitus reſeruauerât pariter beneficiorum nunc vacantium tanquam affecta.

ITEM declarauit omnium, & ſingularum eccleſiarum cathedralium, & monaſteriorum prouiſiones, quas preſati prędeceſſores ſui ordinationi, & diſpoſitioni eorum, necnon omnia & ſingula beneficia eccleſiaſtica, quæ dicti prædeceſſores etiã præfatæ diſpoſitioni cum interpoſitione decreti reſeruauerant: quæ quidem eccleſiæ, & monaſteria, necnon ſic reſeruata beneficia tempore obitus eorundem prædeceſſorum vacabant: aut eccleſiæ, vel monaſteria huiuſmodi ſic commendara, vel eis adminiſtratores deputati non fuiſſent, etiã tunc vacaſſent remanſiſſe, & remanere per huiuſmodi reſeruationem,

ſeruationem,& decretum affecta nullúſque de illis præter Romanum pontificem,ea vice ſe intromittere,vel diſponere potuiſſe, ſiue poſſe quomodo: decernens irritum & inane,ſi ſecus de illis attétatum forſan erat tunc , vel impoſterum contigerit attentari.

REVALIDATIO LITERARVM gratiam vel iuſtitiam continentium,ac reſtitutio in priſtinum ſtatũ ad exequendum,ac ſi inchoatio intra annum facta fuiſſet.

Item prædictus Dominus noſter omnes & ſingulis gularibus ab ipſis prædeceſſoribus ſuis intra annum ante diem obitus eorum conceſſas gratiæ vel iuſtitiæ Literas tẽporibus debitis earum executoribus nõ preſentatas omnino reualidauit,&in ſtatũ priſtinũ in quo videlicet ante fuerant, & eos pro quibus erãt obtentæ quoad hoc plenariæ reſtituit, ac decreuit per executores prædictos,vel ab eis ſubdelegandos perinde ad ipſarum executionem procedi poſſe,& debere,ac ſi executio huiuſmodi temporibus prædictis inchoata fuiſſet.

Item reuocauit quaſcunque expectatiuas,& collationes,mutationes,ac reualidationes,& extenſiones,eas quomodolibet concernentes, etiam ſi qui per eas in canonicos ſub expectatione præbendæ,vel portionum creati aut recepti fuiſſent. Nec

non alias quàm ſuper quibus per Cancellariã Apoſtolicam literæ in forma ſolita expediri conſueuerunt, reſeruationes etiam mentales, perinde ac ſi nõ emanaſſent de quibuſuis etiam patriarchalibus, Metropolitanis, & aliis Cathedralibus eccleſiis, ac Monaſteriis, & beneficiis vacaturis cum prouiſionibus, & commendis aliiſque diſpoſitionibus, ſeu de promouendo & commendando, aliáſque diſponendo mandatis, & extenſionibus inde ſecutis. Necnon abſque conſenſu coadiutorias, ſeu coadiutorum deputationes, etiam cum ſucceſsione, per dictum Clementem & alios Romanos Pontifices ſuos prædeceſſores in fauorẽ quoruncũq; & quibuſcũq; etiã ſanctæ Romanę eccleſię Cardinalib9, & ſub quibuſuis verborũ formis, etiã motu proprio & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſeu Conſiſtorialiter conceſſas, & factas, ac facultates nominandi, reſeruandi, conferendi, commendandi, & aliàs diſponendi, quę ab eiſdẽ prædeceſſoribus emanarunt, illarúmque vigore factas nominationes, & reſeruationes, quo ad ea in quibus nondum vere, non autem per decretum in illis appoſitum ſunt ſortitæ effectũ, nec alicui quaſcunque declarationes aut præſeruatiuas, vel ex tunc prout ex die reuocationis huiuſmodi reſtitutiuas & reualidatiuas clauſulas, vel adiectiones, etiam ſi in eis decretum eſſet, illas ex tunc effectum ſortitas eſſe, & ius in requiſitum fore aduerſus reuocationem huiuſmodi, in aliquo ſuffragari, ac

ri,ac tenores & formas omnium præmiſſorum pro expreſsis habere voluit.

ITEM rationabilibus ſuadentibus cauſis ipſe D. N. omnes vniones, annexiones, incorporationes, ſuppreſſiones, extinctiones, applicationes, & diſmembrationes etiam perpetuas de quibuſuis Cathedralibus, necnon aliis eccleſiis, Monaſteriis, dignitatibus, perſonatibus, officiis, ac locis & beneficiis eccleſiaſticis per ceſſum, vel deceſſum, aut quãuis aliam dimiſſionem, ſeu amiſſionem qualiacunque fuerint inuicem vel aliis eccleſiis monaſteriis menſis dignitatibus, perſonatibus, officiis, beneficiis, & piis, ac aliis locis vniuerſitatibus etiam ſtudiorum generalium, & collegiis etiam in fauorem ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium, ſeu eccleſiis, monaſteriis & beneficiis per eos obtentis quomodolibet apoſtolica, vel alia quauis autoritate factas quæ ſuum ſortitæ non ſunt effectũ, ac quęcunque conceſsiones, & mandata ſuper vnionibus, annexionibus, & incorporationibus, ac aliis præmiſſis taliter faciendis reuocauit, caſſauit, & irritauit, nulliúſque decreuit exiſtere firmitatis: nec alicui quaſcunque clauſulas vel adiectiones in quibuſuis Apoſtolicis etiam quæ Motu proprio aut ex certa ſcientia etiam conſiſtorialiter proceſſerant, & emanauerant literis, etiam ſi in eis decretum eſſet illas extunc effectũ ſortitas eſſe, aut ius quæſitũ fore

quomodolibet contentas aduerſas reuocationem, caſſationem & irritationem huiuſmodi voluit aliquatenus ſuffragari.

REVOCATIO FACVLTAtum conceſſarum quibuſcunque.

ITEM reuocauit quaſcũque facultates conceſſas quibuſuis patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, ac aliis prælatis & perſonis, necnon Apoſtolicæ ſedis nunciis: ac fructuum, & prouentuum Cameræ Apoſtolicæ debitorum collectoribus de diſpenſando cum quibuſuis perſonis ſuper matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac ſuper natalium & ætatis defectibus, & de incompatibilibus beneficiis eccleſiaſticis in ſimile retinendis, necnon de notariis publicis creandis, ac de diſponendo quomodolibet de quibuſuis beneficiis eccleſiaſticis, & aliàs à præmiſsis officia ipſorum nunciorum & collectorum directè non concernentes: Necnon facultates, & indulta, quibuſuis cardinalibus, aut aliis perſonis de quibuſuis beneficiis eccleſiaſticis certarum ciuitatum, & diœceſum in quibus ipſi non erant, nec vnquam fuerant veri ordinarij collatores, ſed de ipſorum ordinariorum conſenſu, aut etiam ſine eorum conſenſu ſeu ſede epiſcopali, vel etiam archiepiſcopali vacañ. diſponendi, aut vicarios perpetuos, ſeu temporales, qui etiam eiſ-

dem

dem cardinalibus aut perſonis huiuſmodi beneficia conferrent, vel commendarent, deputandi, aut ipſi vicarij per quoſcũq; Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos deputati fuiſſent, etiam perinde ac ſi veri, & non ficti inibi ordinarij collatores eſſent: ac etiam cũ decreto quòd diſpoſitiones de eiſdem beneficiis abſque eorundem cardinalium vel perſonarum conſenſu, etiam per ſedem Apoſtolicam pro tempore factæ nullius eſſent roboris quomodolibet cõceſſa, etiam ſi in literis deſuper confectis ſint clauſulæ reſtitutoriæ, reintegratoriæ, & derogatoriarum derogatoriæ, & aliæ efficatiores quas pro expreſsis haberi voluit, quo ad omnia in quibus facultates ipſæ nõ ſunt ſortitæ effectum, etiam ſi nũciis eiſdem dictæ ſedis legat. de latere competẽs ſit conceſſa poteſtas. Decernens irritum, &c.

ITEM reuocauit quaſcunque facultates, & literas deſuper confectas per quas quicũque ſui prædeceſſores Romani Pontifices quibuſuis perſonis ordinariam collationem ſeu aliam diſpoſitionem beneficiorum eccleſiaſticorum de iure vel conſuetudine habentibus, & quauis etiã Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, vel alia dignitate, non tamẽ cardinalatus honore fungentibus, quauis conſideratione vel intuitu ſeu etiam Motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſerant, vt quandiu viuerent vel ſuis eccleſiis, ſeu monaſteriis præeſſent, aut ad aliud tem-

pus de beneficiis eccleſiaſticis generaliter reſeruatis ſeu affectis ad eorũ collationem, prouiſionem, præſentationem, electionem, aut quãuis aliam diſpoſitionem communiter vel diuiſim ſpectantibus diſponere liberè & licitè valerent, aut etiam ad id per eoſdem prædeceſſores vicarij perpetui vel ad tempus conſtituti forent.

DE DICTIONIBVS NVMERALIbus in literis Apoſtolicis ponendis.

ITEM vt in Apoſtolicis literis cõmittendi crimẽ falſi peramplius tollatur occaſio, voluit, ſtatuit, & ordinauit, q in anteà dictiones numerales quæ in dictis literis ante Calendas nonas & idus immediatè poni conſueuerunt per literas, & ſyllabas extenſæ ſcribantur: & illę ex præfatis literis in quibus huiuſmodi dictiones aliter ſcriptæ fuerint, ad bullariam nullatenus mittantur.

DE CONCVRRENTIBVS SVPER beneficio iuxta qualitatem.

ITEM voluit quòd de concurrentibus ſuper vacantibus, ſeu certo modo vacaturis beneficiis, illis quibus gratiæ motu proprio conceduntur: cæteris ſimili modo gratias non habentibus, aliàs graduati non graduatis: & inter graduatos magis graduati, aut

ti, aut inter æqualiter graduatos prius graduati: Necnon colorato titulo poſſeſſores non poſſeſſoribus, ac inter perſonas alias: in curia præſentes abſentibus ab ea, ac inter præſentes non beneficiati beneficiatis, & ſimiliter inter abſentes, & cæteris paribus oriũdus non oriundo: & diœceſanus nõ diœceſano, in reliquis verò ſinguli qui prius apoſtolicas deſuper literas eorum executoribus pręſentauerint aliis in ipſorum de quibus agi contigerit beneficiorum aſſecutione præferantur.

DE NON TOLLENDO IVS. quæſitum per quamcunque commiſsionem.

ITEM ne per varias quæ pro commiſsionibus ſeu mandatis & declarationibus habendis in cauſis plerunque fiunt ſuggeſtiones iuſtitia poſtponatur, idem dominus noſter decreuit & declarauit ſuæ intentionis fore quòd deinceps per quamcunque ſignaturam ſeu cõceſsionem aut gratiam, vel literas apoſtolicas pro cõmiſsionibus ſeu mandatis aut declarationibus huiuſmodi, etiam ſi motu proprio & ex certa ſcientia, ac etiam ante motam litẽ à ſanctitate ſua emanauerint, vel de eius mandato faciendas, nulli ius ſibi quæſitum quomodolibet tollatur.

IN DE-

IN DECIMOQVARTO ANno in cathedralibus, in decimo autẽ anno in collegiatis eccleſiis poſſunt habere canonicatus & præbendas

ITEM quòd prouiſiones ſeu conceſsiones, vel mandata de prouidendo de cathedralium eccleſiarum canonicatibus & præbendis, quæ pro quibuſuis perſonis ſi.xiiij. ſuæ ætatis annum non compleuerint quomodolibet emanauerint, niſi eis (quod illos in minori ætate recipere poſsint) per ſedem Apoſtolicam ſpecialiter conceſſum fuerit: & quæcunq; diſpoſitiones de canonicatibus & præbendis in collegiatis eccleſiis, ſi impetrantes maiores decem annis non fuerint, & de hoc in impetrationibus huiuſmodi expreſſa mentio non fiat, nullius roboris ſint vel momenti, & habeantur pro infectis.

DE INFIRMIS, EORVM beneficia reſignantibus.

ITEM voluit quòd ſi quis in infirmitate conſtitutus reſignauerit aliquod beneficiũ ſiue ſimpliciter, ſiue ex cauſa permutationis, & poſtea infra viginti dies à die per ipſum reſignantẽ præſtandi cõſenſus computandos de ipſa infirmitate deceſſerit, ac ipſum beneficium quauis auctoritate cõferatur per reſignationem ſic factam, collatio huiuſmodi nulla ſit:

ipſumq́ue beneficium nihilominus per obitum cen ſeatur vacare.

CVI CONCEDITVR PROVIDE- de parochiali eccleſia debet intelligere,& loqui idioma illius patriæ.

ITEM voluit quòd ſi cõtingat ipſum alicui perſonæ de parochiali eccleſia prouidere ſeu mandare prouideri, vel gratiam expectatiuam concedere, niſi dicta perſona intelligat, & intelligibiliter loqui ſciat idioma loci vbi huiuſmodi eccleſia conſiſtit, prouiſio ſeu mandatum & gratia deſuper quo ad parochialem eccleſiam nullius ſint roboris vel momenti.

DE BENEFICIO IM- petrato per obitum viuentis.

ITEM ſi quis ſupplicauerit ſibi de beneficio quocunque tanquam per obitum alicuius licet tunc viuentis vacante prouideri,& poſtea per obitum eius vacet prouiſio & quæuis alia diſpoſitio dicto ſupplicanti per obitum huiuſmodi denuò faciendæ, nullius ſint roboris vel momenti.

DE VNIONIBVS ET VNIO- num confirmatione.

ITEM voluit quòd petentes beneficia eccleſiaſtica aliis vniri, teneantur exprimere verum annuum valorem ſecundũ communem æſtimationem, tam beneficij vniendi quàm illius cui vniri petitur: alioquin vnio non valeat. & ſemper in vnionibus commiſsio fiat ad partes vocatis quorum intereſt, & idem voluit obſeruari in confirmationibus vnionum factarum.

DE MENDICANTIBVS tranſeuntibus ad alios ordines.

ITEM de mendicantibus qui ad alios ordines tranſierunt pro tempore, voluit conſtitutionem fe. re. Martini papæ quinti prædeceſſoris ſui deſuper factam, & in libro cancellariæ Apoſtolicæ deſcriptã, quæ incipit, Viam ambitioſæ cupiditatis, &c. firmiter obſeruari.

DE MALE PROMOTIS, SEV ordinatis ad ſacros ordines.

ITEM de clericis extra tempora à iure ſtatuta, ſiue ante ætatem legitimam, aut abſque dimiſſoriis literis ad ſacros ordines ſe promoueri facientibus, pro tempore etiam voluit conſtitutionem piæ me. Pij Papæ. ij. ſimiliter prædeceſſoris ſui deſuper editam &

tam & in dicto cancellariæ Apoſtolicæ libro deſcriptam, quæ incipit, Cùm ad ſacrorum ordinum, &c. pari modo obſeruari.

DE MONETA.

ITEM declarauit idem dominus noſter, quòd libra turonenſium paruorum, & florenus aurei de camera pro æquali valore in concernentibus literas & cameram Apoſtolicas computari & æſtimari debeant.

DE BENEFICIIS VACATVRIS per promotionem ad eccleſias vel monaſteria.

ITEM præfatus dominus noſter Papa voluit, decreuit, & ordinauit, quòd quæcunque conceſsiones gratiæ & mãdata etiam motu proprio, & cum derogatione huius conſtitutionis, quæ ab eo pro quibuſuis perſonis emanauerint de prouidendo eis de quibuſuis beneficiis vacaturis per promotionem quorumcunque ad eccleſiarum & monaſteriorum regimina, ſi huiuſmodi conceſsiones & mandata diem promotionis promouendorum ipſorum præceſſerint: Necnon quæcunq; collationes, prouiſiones, ac diſpoſitiones pro tempore faciendæ de præmiſsis, ac quibuſuis aliis beneficiis eccleſiaſticis ſecularibus & regularibus, quæ per promouendos

vel aſſumendos ad quaſcunque prælaturas inter illarum vacationis & huiuſmodi promotionis vel aſſumptionis tempora ſimpliciter vel ex cauſa permutationis vbicunque reſignari, vel alias dimitti contigerit cum inde ſecutis pro tempore ſint caſſæ & irritæ nulliuſque roboris vel momenti.

NON IVDICETVR IVXTA formam ſupplicationum, ſed literarum expeditarum.

ITEM cum ante confectionem literarum gratia Apoſtolica ſit informis: voluit, ſtatuit, & ordinauit, idē dominus noſter quòd iudices in Romana curia & extra eam pro tempore etiam ſi ſint ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales cauſarūm Palatij Apoſtolici auditores, vel quicunque alij non iuxta ſupplicatiouum ſignatarum ſuper quibuſuis impetrationibus vel conceſsionibus niſi in dicta curia duntaxat ſint commiſsiones iuſtitiam continentes per placet, vel per ſanctæ Romanæ eccleſiæ vicecancellarium iuxta facultatem ſuper hoc ſibi conceſſam ſignatæ, ſed iuxta literarum ſuper eiſdem impetrationibus & conceſsionibus confectarum tenores & formas iudicare debeant, decernens irritum &c. & ſi literæ ipſæ per præoccupationem vel aliàs minus bene expeditæ reperiantur, ad illorum quorum intereſt inſtantiam ad Apoſtolicam

Cancella-

Cancellariam remitti poterunt per eius officiales quibus huiuſmodi tenores & formas reſtringere cõuenit, ad formas debitas reducendæ.

DE REGVLIS CANCELlariæ producendis.

ITEM attendens idem dominus noſter Papa ꝙ ſuper habendis de cancellaria Apoſtolica regulis & conſtitutionibus inibi deſcriptis faciliter per eos qui in Romana curia indiguerint ad ipſam cancellariã recurſus dirigi poteſt, nec conſultum foret, quòd ſuper earundem regularum & conſtitutionum quas iuxta varietatem occurrentium cauſarum & negotiorum aliquotiens immutari conuenit probando tenore vel effectu teſtium plerunque tenacem deſuper memoriam non habentium depoſitionibus ſtari deberet, voluit, ſtatuit, & ordinauit, quòd deinceps quilibet ex auditoribus cauſarũ palatij apoſtolici, & alij etiam ſi ſanctę Romanæ eccleſiæ ſint cardinales, in ipſa curia pro tempore deputatis auctoritate Apoſtolica iudicibus, etiam in cauſis actu pẽdẽtibus ſuper huiuſmodi tenore vel effectu, probando duntaxat ſtet fidémque adhibeat ſchedulæ ſeu ſcripturæ deſuper à duobus de maiori parco ꝙ danda ſit à tergo ſignatæ, & etiam duobus aliis literarum Apoſtolicarũ abbreuiatoribus in ipſa cancellaria auſcultatæ, & domini Vicecancellarij, ſeu

dictam cancellariam regentis manu ſubſcriptæ, vt moris eſt: quicquid autem ſecus fieri cõtigerit nullius ſit roboris vel momenti.

DE SVRROGANDIS collitigantibus.

ITEM dominus noſter litium ſuccindere cupiens anfractus, & ne noui collitigantibus aduerſarij dentur prouidere, voluit, ſtatuit, & ordinauit quòd quotiens deinceps aliquẽ ſuper quouis eccleſiaſtico beneficio collitigãtem in iure vel ad ius, ſi quod forſan eius aduerſario in dicto beneficio competierit ſurrogari cõceſſerit, dummodo præfatus collitigans in dicto beneficio intruſus non fuerit, nec ſuper eo contra dictum aduerſarium poſtquam illud per triennium pacificè poſſederat, lis tunc mota fuerit, aliorum quomodolibet de præmiſſo iure, ſiue tunc vacet, vel cum vacauerit, impetrationes vel conceſsiones, etiam motu proprio intra menſem ante conceſsionẽ huiuſmodi factæ nullius ſint roboris vel momenti: & nihilominus fe. re. Pauli. ij. & Innocentij. viij. ac Adriani. vj. Romañ. Pontificũ prædeceſſorum ſuorũ veſtigiis inhærendo cupiens eorum fraudibus obuiare, qui viuentium beneficia illorum, præſertim quibus aut propter ſenium, aut infirmitatem imminet vitæ periculum impetrant vt illis decedentibus tanquam collitigantes in illorum

lorum iuribus facilius ſurrogentur, voluit vt deinceps nullius in iure vel ad ius in beneficio defuncti, quòd illo viuente in caſibus præmiſsis vel ſimilibus impetrauit aliquo modo ſurrogetur, ac ſurrogatio, & gratia ſi neutri, ſi nulli, ſiue nouæ prouiſionis, aut perinde valere taliter impetranti nullatenus ſuffragetur. quòd etiam ſtrictiſsimè obſeruari mandauit in impetrationibus beneficiorum per priuationem & amotionem ex quibuſuis criminibus, & exceſsibus forſan perpetratis, etiam ſi vſquè ad diffinitiuam ſententiam, quæ tamen in rem non tranſiuerit iudicatam proceſſum foret.

NON VALET IMPETRATIO per obitum, niſi præceſſerit congruum tempus.

ITEM voluit, & ordinauit quòd omnes gratiæ quas de quibuſuis beneficiis eccleſiaſticis cum cura vel ſine cura ſecularibus & regularibus per obitum quarumcunque perſonarum vacantibus inanteà fecerit, nullius roboris vel momenti ſint, niſi poſt obitum & ante datam gratiarum huiuſmodi tantum tempus effluxerit, quòd interim vacationes ipſe de locis in quibus perſonæ prædictæ deceſſerint, ad notitiam eiuſdem domini noſtri veriſimiliter potuerint perueniſſe.

NON

NON VALENT COMMISSIONES, nec proceſſus cauſarum ſuper gratia niſi literis expeditis.

ITEM quòd omnes & ſingulæ cauſarũ commiſſiones quas inanteà fieri contigerit obtentæ, vel occaſione conceſsionum duntaxat apoſtolicarum de beneficiis eccleſiaſticis gratiarũ ſuper quibus apoſtolicæ literæ confectæ non fuerint, ac proceſſus deſuper habendi nullius ſint roboris vel momenti.

DE IMPETRATIONE BENEFICIORUM vacantium per obitum familiarium cardinalium.

ITEM voluit quòd impetrans beneficium vacans per obitum familiaris alicuius cardinalis teneatur exprimere nomen, & titulum ipſius cardinalis, & ſi ille in curia fuerit eius ad id accedat aſſenſus aliàs deſuper gratia ſit nulla. & idem ſeruari voluit etiam ſi dicti familiares eorundem cardinalium familiares eſſe deſierint, ſeu ad aliorum cardinalium familiaritatem ſimilem tranſierint, quo ad beneficia quæ familiaritate priori durante obtinuerint, & in quibus priori ipſa familiaritate durante ius eis competierit, ita quòd quorum ad illa cardinales prius familiares fuerint ſuum habeant

adhibere

adhibere conſenſum. ac felicis. re. Sixti.iiij. Innocentij. viij. & Adriani.vj. Romañ. Pontificũ prædeceſſorum ſuorum inhærendo veſtigiis, declarauit præſentem conſtitutionem locum non habere in illis beneficiis, quæ non ſolùm ratione familiaritatis continuæ commenſalitatis huiuſmodi, ſed etiam ratione officiorum, quæ familiares ipſi tempore obitus eorum in dicta curia vel extra eam obtinerent, aut anteà obtinuiſſent dictæ diſpoſitioni generaliter reſeruata vel affecta fuiſſe apparerent. Necnon illos quo ad effectum dictæ conſtitutionis familiares eorundem cardinalium cenſeri, qui ipſorum cardinalium familiares continui commenſales ad minus per quatuor menſes fuiſſe probarentur. Decernens irritum, &c.

ITEM idem dominus noſter ad euitandum lites & contentiones quæ ex præcedenti ſua conſtitutione exoriri poſſent, veſtigiis prædeceſſorum ſuorum inhærendo, voluit, ſtatuit, & ordinauit ꝙ ſi beneficia quæ per obitum familiarium continuorum commenſalium eorundem cardinalium in futurum vacabunt ceſſantibus apoſtolicis reſeruationibus ad alterius cardinalis collationem, vel aliam diſpoſitionem pertinere deberent in dicta præcedenti conſtitutione non comprehendantur, quo ad hoc [illegible] prouiſionibus talium beneficiorum ſuper expeditione literarum illius cardinalis cuius familiaris defunctus ille extitit cõſenſus requiri debeat,

ſed beneficia huiuſmodi ad collationem & qual
uis aliam diſpoſitionem Cardinalis ordinarij colla-
toris vt præfertur libere ſpectare cenſeantur, & ſi
apud ſedem Apoſtolicam beneficia huiuſmodi per
obitum dictorum familiarium vacauerint, tunc in
prouiſione huiuſmodi talium beneficiorum ſuper
expeditione literarum illius Cardinalis exigatur cõ
ſenſus, ſi in Romana curia præſens fuerit, ad quem
eorundem collatio vel diſpoſitio vt præfertur per-
tinere deberet.

SIGNATVRA PER FIAT PRAE-fertur illi per conceſſum.

ITEM voluit idem dominus noſter quòd concur
rentibus eadem die ſuper quocunque beneficio
per Fiat, & conceſſum ſignaturis ex eis per Fiat
etiam vt petitur habens alteri per conceſſum etiam
motu proprio habenti præferatur.

DE IMPETRANDO BENEficium, etiam per annum pacificè poſſeſſum.

ITEM idem dominus noſter vt improbi lites
exquirentium motus reprimantur, voluit, ſtatuit,
& ordinauit quòd quicunque beneficium eccleſia-
ſticum tunc per annum immediatè præcedentem
pacificè

pacificè poſſeſſum, & quod certo modo vacare prętenditur deinceps impetrauerit, nomen, gradum & nobilitatem poſſeſſoris eiuſdem, & quot annis illud ipſe poſſedit ac ſpecificam & determinatam, ex qua clarè poterit conſtare quòd nullum ipſi poſſeſſori in dicto beneficio ius competat, cauſam in huiuſmodi impetratione exprimere, & intra ſex menſes ipſum poſſeſſorem ad iudicium euocari facere, cauſamque ex tunc deſuper intra annum vſque ad ſententiam diffinitiuam incluſiuè proſequi debeat & teneatur, alioquin impetratio prædicta & quæcunque inde ſecutá nullius exiſtant firmitatis. & idem impetrans de damnis & intereſſe poſſeſſorem prædictum propterea contingentibus ei ſatisfacere, & ſi poſſeſſorem ipſum iniuſtè friuolè & indebitè moleſtaſſe repertus extiterit quinquaginta florenos aurei perſoluere cameræ Apoſtolicæ ſit aſtrictus, nec alius quàm præmiſſæ vacationis modus etiam per literas ſi neutri aut ſurrogationis vel aliàs, ſibi quo ad hoc vt beneficium huiuſmodi ea vice conſequi aut obtinere valeat quomodolibet ſuffragetur, illúdque nullatenus inanteà litigioſum propterea cenſeatur.

DE TRIENNALI POSſeſſore non moleſtando.

ITEM ſtatuit & ordinauit idem dominus noſter, quòd ſi quis quæcunque eccleſiaſtica beneficia qualiacunque ſint abſque ſimoniaco ingreſſu ex quouis titulo Apoſtolica vel ordinaria collatione aut electione, & electionis huiuſmodi confirmatione, ſeu præſentatione, & inſtitutione illorũ ad quos beneficiorum huiuſmodi collatio, prouiſio, electio & præſentatio, ſeu quæuis alia diſpoſitio pertinet, per triennium pacificè poſſederit, dummodo in beneficiis huiuſmodi (ſi diſpoſitioni Apoſtolicæ ex reſeruatione generali in corpore iuris clauſa reſeruata fuerint) ſe non intruſerit, ſuper eiſdem beneficiis taliter poſſeſsis moleſtari nequeat, necnon impetrationes quaſlibet de beneficiis ipſis ſic poſſeſsis factas irritas & inanes cenſeri debere decreuit, antiquas lites ſuper illis motas penitus extinguendo.

DE PVBLICATIONE FACIENDA in beneficiis reſignatis.

ITEM idem dominus noſter ſtatuit & ordinauit quòd quæcunque beneficia eccleſiaſtica ſiue in Romana curia ſiue extra eam reſignata, niſi de illis factæ reſignationes ſi in eadem curia infra ſex menſes, ſi verò extra dictam curiam factæ ſint, infra menſem ex tunc vbi dicta beneficia conſiſtunt publicatæ fuerint, vel poſſeſſio illorum ab eis quos id contingit petita extiterit, ſi reſignantes iſta poſt-

modum

modum in eorundem reſignatorum beneficiorum poſſeſsione deceſſerint, non per reſignationẽ ſed per obitum huiuſmodi vacare cenſeantur, collationes quoque & quæuis aliæ diſpoſitiones de illis tanquam per reſignationem vacantibus factæ & inde ſecutæ nullius ſint roboris vel momenti.

DE NON APPELLANDO ANte diffinitiuam ſententiam.

ITEM idem dominus noſter, vt litibus finis celerius imponatur, & litigantium parcatur ſumptibus & expreſſis, ſuorum prædeceſſorum conſtitutionibus & ſtatutis inhærẽdo, ſtatuit & ordinauit quòd in cauſis in Roma. Curia pendẽtibus, & quas impoſterum quouis modo contigerit agitari, nulli ante diffinitiuam ſententiam liceat appellare, nec appellatio ſi fuerit emiſſa, debeat admitti: niſi ab interlocutoria quæ vim habeat diffinitiuæ, vel à grauamine minime concernente negocium principale, quod non poſſit per appellationem à diffinitiua ſententia reparari: nulliſque cauſæ appellationum huiuſmodi committantur, niſi in commiſsione exprimatur quòd interlocutoria vim diffinitiuæ habeat, vel grauamen ſit tale quod in appellatione à diffinitiua non valeat reparari. Alioquin appellationes & commiſſiones impoſterum ac quicquid inde ſecutum fuerit nullius ſint

robotis vel momenti, cómmiſſionibus appellationū iam iudicibus præſentatis, & exhibitis in ſuo robore permanſuris, in quibus latis ſuper eiſdem ſententiis ſecundo vel vlterius ab eis non liceat appellare, appellantes verò & appellationes etiam ab interlocutoriis, & grauaminibus huiuſmodi ſuo vel alterius nomine proſequentes, ſi ſuccubuerint vltra expenſas & damna ad quæ reſarcienda de iure condemnatus compellitur viginti florenorum auri pœna mulctetur.

COMMISIONI POST CONclusionem non ſtetur niſi derogetur concluſioni.

ITEM ſtatuit & ordinauit quòd in cōmiſſionibus de iuſtitia ſeu mandatis etiā conſiſtorialibus per eum de eius mandato vel autoritate in cauſis in quibus concluſum exiſtat imposterum concedendis, etiam ſi in eis de concluſione huiuſmodi implicitè vel explicitè mentio facta fuerit, nihil cenſeatur eſſe conceſſum, niſi per conceſſionē commiſſionis huiuſmodi concluſioni derogetur expreſſè.

DE LITERIS EXPEDIENDIS.

ITEM voluit & ordinauit quòd ſi aliqui religioſi petant aliquod beneficium ad nutum reuocabile cum

cum clauſula quòd exinde pro ſolo nutu Abbatis vel ſuperioris amoueri non poſsint literæ quo ad ipſam clauſulam nullaten s expediantur niſi idem.S.D.N. ponat in ſignatura quòd non poſſint amoueri vel ad partem clauſulam ipſam concedat.

DE CLAVSVLIS PONENDIS IN reſignatione beneficij.

ITEM ſi committatur alicui beneficij reſignationis receptio, ponatur clauſula, attentè quoque prouideas, &c. & ſi ex cauſa permutationis reſignationes fiant, ponatur clauſula, quòd neuter permutantium ius acquirat, niſi quilibet ipſorum ius habuerit in beneficio per ipſum reſignato.

DE SVPPLENDIS DEFECTIBVS

VOLVIT quòd ſi petantur ſuppleri defectus in genere, nullatenus literæ deſuper concedantur, niſi in petitione deſuper huiuſmodi defectus exprimantur, vel per Fiat petitur, ſupplicatio ſignata fuerit.

DEROGATIO IVRIS patronatus.

ITEM

ITEM voluit quòd ſuper quouis beneficio eccleſiaſtico de iure patronatus laicorum non expediantur literæ niſi ponatur expreſſe quòd tale beneficium tanto tempore vacauit quòd eius collatio ad ſedem Apoſtolicam legitimè eſt deuoluta, vel quia tempus patronis laicis ad præſentandum à iure præfixum, lapſum exiſtat, aut ad id patronorum ipſorum accedat aſſenſus, & ſi per ipſum iuri patronatus huiuſmodi derogari contigerit: ſi ius huiuſmodi ad aliquem regem, ducem, marchionem, vel alium principem pertineat, & de hoc in literis prouiſionis vel mandati de prouidendo de dicto beneficio mentio facta non fuerit, non cēſeatur iuri huiuſmodi quomodolibet fore derogatum.

DE COMMENDIS.

ITEM voluit quòd nulli ſeculari de regulari, nec religioſo de ſeculari beneficiis commendadetur, niſi in ſignatura, vel per clauſulam ad partem ſuper petitione commendæ, huiuſmodi de cōmenda ipſa fiat mentio.

DE REFOTMATIONIBVS.

ITEM voluit, ſtatuit, & ordinauit quòd ſuper quibuſcunque reformationibus ſignatis ſuper impe-

impetrationibus quorumcunque beneficiorum va cantium, vel certo modo vacaturorum, in quibus petitur quòd literæ ſuper prima data expediri poſſint, ſi ex huiuſmodi expeditione ſub tali data miſ rumq́ue videatur poſſe fieri præiudicium, literæ huiuſmodi ſub ipſa prima data nullatenus expediantur, niſi reformationes huiuſmodi per fiat: & ſub prima data ſignatę fuerint.

DE BENEFICIIS RESIGNATIS IN Cancellaria, & de reſignantibus beneficia, ac conſenſu in penſionem.

ITEM voluit & ordinauit quòd ſuper reſignatione cuiuſcunque beneficij eccleſiaſtici ſeu ceſsione iuris in eo, quam in manibus ſuis, vel in cancellaria apoſtolica fieri contigerit, apoſtolicæ literæ nullatenus expediantur, niſi reſignans vel cedẽs (ſi præſens in Romana curia fuerit) perſonaliter: alioquin per procuratorem ſuum ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum expeditioni huiuſmodi in eadem cancellaria expreſsè conſenſerit & iurauerit, vt moris eſt: & ſi ipſum reſignantem vel cedentem pluries ſuper vno & eodem beneficio in fauorem diuerſarum perſonarum ſucceſsiuè conſentire contigerit, voluit ſanctitas ſua quòd primus conſenſus tenere debent, & alij poſteriores conſenſus, ac literæ illorum prætextu etiam ſub priori data

expeditæ pro tempore nullius ſint roboris, vel momenti, nec literæ reſeruationis, vel aſſignationis, etiam motu proptio cuiuſuis penſiónis annuę ſuper alicuius beneficij fructibus expediri poſſint, niſi de conſenſu illius qui penſionem prædictam perſoluere tunc habebit.

DE INGRESSV RELIGIONIS.

ITEM non détur literæ ſuper beneficiis vacaturis per ingreſſum religionis niſi ille præceſſerit datā deſuper petitionis.

QVOD NON VALET IMPETRATIO facta per modum in Cancellaria exprimendum.

ITEM voluit quòd ſi petatur aliquod beneficium vacans per modum in Cancellaria Apoſtolica exprimendum talis impetratio non valeat, nec literæ deſuper expediantur.

CVM EXPRIMITVR NOMEN proprium iudicis & dignitatis, iudex per ſeipſum tenetur exequi mandatum.

ITEM voluit, ſtatuit, & ordinauit quòd quotieſcunque per ſignaturam ſuam, vel de eius mandato

dato factam ſuper exequendis aliquibus, cum adiectione proprij nominis, vel dignitatis cuiuſuis iudex detur, literæ deſuper expediantur cum expreſſione quòd idem iudex executionẽ faciat ꝑ ſeipſũ.

DE DISPENSATIONIBVS IN gradibus conſanguinitatis.

VOLVIT quòd in literis diſpenſationum ſuper aliquo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, aut aliàs prohibito ponatur clauſula, ſi mulier rapta non fuerit, & ſi ſcienter, ponatur clauſula addita in quinterno.

SVPER DEFECTV NATALIVM.

VOLVIT ꝙ in diſpenſationibus ſuper defectu nataliũ ꝙ poſſint ſuccedere in bonis tẽporalib⁹, ponatur clauſula ꝙ nõ ꝑiudicetur illis ad quos ſucceſsio bonorũ ab ĩteſtato ꝑtinere debeat.

SVPER DEFECTV AETATIS.

ITEM quòd per quãcunque ſignaturam in quauis gratia nullatenus diſpenſatio veniat, niſi dicta gratia totaliter effectum huiuſmodi diſpenſationis concernat, vel aliàs nihil conferat, aut operetur, & ſi ſuper defectu ætatis ſit diſpenſatio huiuſmodi, de duobus duntaxat annis dari valeat,

habita prius per teſtes idoneos vel aliàs informatione quo ad idoneitatem perſonę cui dicta diſpenſatio conceditur.

SVPER DEFECTV NATALIVM ex nobilibus,& graduatorum.

ITEM voluit quòd ſuper defectu natalium dentur graduatis,ſeu de magnis nobilibus genitis per ſimplicem ſignaturam quatuor,etiam ſi canonicatus & præbẽdæ cathedralium,ſeu collegiatarũ eccleſiarum,& per fiat vt petitur,quatuor ſi petantur dummodo canonicatus,& prebẽdæ cathedralium eccleſiarum,vel dignitates non exiſtant.

DE INCOMPATIBILIBVS.

VOLVIT quòd ſuper obtinẽdis incõpatibilibus beneficiis in theologia magiſtris,& in iure canonico,vel ciuili doctoribus,& in aliis cum rigore examinis,ac in eadem theologia licẽtiatis, aut bachalariis formatis, ac magnis nobilibus per fiat quinquennium,& addito vt petitur quo ad vixerint ad duo incompatibilia,aliis verò,per fiat biennium, & addito vt petitur triennium ad duo , dummodo non ſint duæ dignitates maiores poſt pontificales ſeu principales,aut duæ parochiales eccleſiæ vel tales mixtim cum poteſtate permutandi ſi petatur.

DE OB-

DE OBTINENDIS DVABVS PArochialibus eccleſiis vel dignitatibus principalibus.

ITEM voluít & ordinauít quòd per quamcunque ſignaturam deinceps faciendam nulli cuiuſuis dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis fuerit, detur diſpenſatio quod duas parochiales eccleſias, vel dignitates maiores poſt pontificales, in cathedralibus, ſeu principales in collegiatis eccleſiis, vel vnam cum reliqua earum inſimul retinere valeat, niſi ipſæ eccleſiæ parochiales, adeò contiguæ & inuicem pro pinquæ ſint, quod ipſis per vnum commode deſerui ri poſsit illarúmque fructus, &c. inſimul vltra.xxiiij. florenos auri de camera, ſecundum communem exi ſtimationem non valeant annuatim, & de hoc in literis diſpenſationis huiuſmodi expreſſa mentio fiat, vel niſi ſuper obtinendis duabus ex huiuſmodi dignitatibus vel parochialibus eccleſiis, inſimul pro magnis nobilibus magiſtris vel bachalariis in theologia formatis, vel doctoribus, ſeu licentiatis in altero iurium per verba diſpenſamus, & de ſpeciali ſignatura ſufficiens habeatur, & ſuper illis parochialibus eccleſiis huiuſmodi ſignatura de parochialibus mentio fiat, & ſimiliter in diſpenſationum ad incompatibilia prorogationibus obſeruetur.

NVLLIS

O

NVLLI SVFFRAGETVR DISPENſatio niſi literis confectis.

ITEM cum conceſſiones ſuper gratiis diſpenſationum quarumcunque quibuſuis per ipſum dominum noſtrum conceſſarum, vel conſcdendarum per regulas Cancellariæ Apoſtolicæ ſint prouidè limitatæ, licet aliquando in petitionibus ſuper huiuſmodi conceſſionibus oblatis multa ſint petita: ne quis talium conceſsionum prætextu, id diſpenſatiuè tenere, aut facere præſumat, ad quod conceſsiones huiuſmodi ſe non extendunt: voluit idem dominus noſter quòd nulla talis diſpenſatio cuiquã ſuffragetur, ante quàm ſuper ea literæ apoſtolicæ ſint confectæ.

DE NON PROMOVENDIS AD ſacros ordines.

ITEM voluit quòd ſecum petentibus diſpenſari, vt ratione beneficiorũ non teneantur ſe facere promoueri in Rom. curia, vel in ſtudio per fiat ſeptẽnium, aliàs verò quinquennium detur, dummodo intra annum à tempore datæ diſpenſationis huiuſmodi ad ſubdiaconatus ordinem ſint promoti.

DE FRVCTIBVS IN ABSENTIA percipiendis.

ITEM de fructibus in abſentia percipiendis detur in Roma. curia, vel in ſtudio reſidēdo per quancunque ſignaturam ſeptennium, & alibi quinquennium.

DE DVOBVS DECANATIBVS in Alemania non obtinendis.

ITEM, idem dominus noſter attendens quòd in Alemaniæ partibus cathedraliū, & collegiatarū eccleſiarum decanatibus animarum cura, & onus incumbit capitulo præſidenti defectus, & negligentias diuinorum, ac alios exceſſus corrigendi, & ſingula in eccleſiis ipſis, vt debito ordine dirigantur diſponendi & ordinandi, quodque non abſque graui diſpendio eccleſiaſticæ diſciplinæ & ſtatus eccleſiarum ipſarum vnus tales plures decanatus obtinere poſsit fe.re. Pij.ij. & Iulij etiam.ij. prædeceſſorum ſuorum veſtigiis inhærendo, voluit, ſtatuit, & ordinauit præfatus dominus noſter, quòd nulla per eum vel ſedem apoſtolicam cuiquam in dictis partibus conceſſa, vel per eum concedenda de quibuſuis dignitatibus, & aliis incompatibilibus beneficiis in ſimul obtinendis diſpenſatio ſibi ſuper duobus talibus decanatibus in ſimul recipiēdis & recipiēdis & retinēdis quomodolibet ſuffragetur: quinimo ꝙ quilibet huiuſmodi duos tales decanatus inſimul diſpēſatiuè ĩ eiſdē ꝑtibus obtinēs teneatur infra

annum alterū ex illis pro alio compatibili, & quòd talis decanatus non ſit aut quòd diſpenſatiuè obtinere poſsit incōpatibili beneficio permutare, alioquin huiuſmodi anno elapſo, ille ex huiuſmodi decanatibus quem primo aſſecutus fuerit vacare cenſeatur eo ipſo.

DE INDVLGENTIIS.

ITEM voluit quòd in literis indulgentiarum ſolum dentur feſta per cancellariam dari ſolita, & ꝙ durent per viginti annos, niſi petantur pro vna die, & tunc durent perpetuò.

DE CLAVSVLIS PONENDIS in literis indulgentiarum.

ITEM voluit ꝙ in literis indulgentiarum ponatur quòd ſi eccle. ſiue capellæ, vel aliàs aliqua indulgentia fuerit per ipſum cōceſſā de qua inibi ſpecialis mentio facta non ſit huiuſmodi literæ ſint nullæ.

SVPER INDVLGENTIIS conceſsis ad inſtar.

ITEM voluit idem dominus noſter quòd literæ non expediantur ſuper indulgentiis ad inſtar, niſi ſpecificentur.

DE TEM-

DE TEMPORIBVS indulgentiarum.

ITEM voluit quòd per Fiat ſi eccleſia cathedralis vel inſignis collegiata, aut ſolenne monaſteriũ fuerit, tres alioquin duo anni & totidem quadragenæ: & per Fiat vt petitur cathedrali collegiatæ vel monaſterio quatuor, aliis tres anni dentur, pro ſingulis verò diebus octauarum centum dies apponantur: & pro capella per Fiat vnus, & per Fiat vt petitur duo anni concedantur.

DE BENEFICIIS VACANTIbus, & certo modo vacaturis.

ITEM voluit & ordinauit quòd in gratiis beneficialibus vacantibus, aut certo modo vacaturis factis quibuſlibet, ſi plura petantur beneficia, vnum cuiuſcunque annui valoris per ſimplicem ſignaturam, & additio vt petitur duo aut tria & non vltra beneficia petita veniant, dummodo etiam illorum fructus, &c. centum libras turoneñ. paruorum ſecundum communem æſtimationem, ſiue tantũdem in alia moneta non valeant annuatim.

DE VALORE BENEficiorum exprimendo in impetrationibus.

ITEM voluit quòd in gratiis quas quibuſuis perſonis de beneficiis vacantibus ſeu certo modo vacaturis fieri contigerit, illorúmque & aliorum quorumcunque beneficiorum quæ dictæ perſonæ tunc obtinuerint, ſeu de quibus eis fuerit prouiſum vel conceſſum, aut mandatum prouideri verus annus per marchas argenti ſterlingorũ, vel libras turonẽ. paruorum, ſeu florenos auri, aut ducatos vel vncias auri, ſeu aliam monetam, valor ſecundum communem æſtimationem exprimatur, niſi perſonæ prædictæ beneficia quæ tunc obtinuerint, aut in quibus, vel ad quæ ius eis competit iuxta ipſarum oblationes vel aliàs dimittere teneantur, alioquin gratiæ præfatæ ſint nullæ. & idem ſeruetur in gratiis quas à Sanct. ſua motu proprio emanare contigerit, quo ad beneficia de quibus per Sanct. ſuam pro tempore prouidetur, ſeu prouideri mandatur, aut aliàs diſponitur, ac literis per quas etiam pro tempore ad eccleſiarum patriarchalium, metropolitanarum & cathedralium, ac monaſteriorum regimina promotis conceditur, quòd monaſteria & alia beneficia eccleſiaſtica ſecularia & regularia per eos obtenta, & in quibus & ad quæ ius eis competit retinere poſſint.

DE CLAVSVLIS IN BEneficiis vacantibus ponendis.

VOLVIT & ordinauit quòd quando prouidet ſeu mandat prouideri alicui de beneficio eccleſiaſtico vacante, tunc dari poterũt clauſulæ ſi petantur, etiam ſi illud quouis modo, &c. ſeu per conſtitutionem execrabilis vacet, ac ſpecialiter reſeruatũ inter alios litigioſum ſit, & eius collatio deuoluta fuerit, & ſi pro collitigante vel ſurrogationem aut ſi neutri vel ſi nulli, &c. petente: ſi tunc lis ſpecifice exprimatur, nec detur aliqua generalis reſeruatio diſpoſitiuè, niſi deſuper in conceſsione ſpecialis, & expreſſa ac purè, & non ſub conditione mentio fiat, & tunc reliquæ reſeruationes inibi contentæ veniant. Si verò tempore expeditionis inde literarum generalis reſeruatio huiuſmodi probari non poſsit, aut in nouis prouiſionibus, ſeu pro collitigantibus ſi neutri vel ſi nulli, &c. ſit expreſſum quòd ab aliquibus aſſeritur illum cuius beneficium conceditur collectorem, ſubcollectorem, abbreuiatorem vel familiarem, &c. fuiſſe, clauſula ponatur etiam ſi dictum beneficium ex eo quòd talis collector vel ſubcollector, abbreuiator ſeu familiaris, &c. fuit, diſpoſitioni Apoſtolicæ generaliter reſeruatum exiſtat: dummodo non ſit in eo alicui ſpecialiter ius quæſitum, in reliquis verò nulla clauſula detur, vnde reſeruatio generalis elici poſsit, niſi deſuper ſignatura per duplex Fiat ſignata ſit, aut reformatio vel aliàs ſpecialiter habeatur.

QVALITATES BENEFICIORUM exprimantur in impetratione.

ITEM voluit ꝙ ſuper beneficiis eccleſiaſticis de qualitatibus illorū, videlicet an dignitates perſonatus vel officia ſint eiſque cura immineat animarū, & ad illa conſueuerint qui per electionē aſſumi mentio fiat: aliàs gratiæ deſuper factæ ſint nullæ, & ſi qualitates huiuſmodi affirmatiuè vel conditionaliter non exprimantur, negatiua expreſsio deſuper fiat, in beneficiis quæ tales qualitates, vel ex eis aliquas conſueuerunt habere.

DE BENEFICIIS VACANTIbus per contractum matrimonij.

ITEM ſi reſeruetur beneficium per contractum matrimonij non dentur alij modi vacationum de futuro, nec cenſeatur beneficium reſeruatum ſpecialiter vel affectum, niſi ſequatur matrimonium: ſed in beneficiis per promotionem vel aſſecutionem, aut ingreſſum religionis vacaturis ponatur clauſula etiam ſi non petatur cùm beneficia huiuſmodi præmiſſo vel alio quouis modo, &c. præterquam per obitum obtinentis vacare contigerit etiam ſi vacent.

DE RELIGIOSIS RECIPIENdis quæ clauſulæ dabuntur.

ITEM

ITEM voluit quòd ſi petatur aliquem in religioſum recipi, & ſibi de quouis beneficio eccleſiaſtico prouideri per ſimplicem ſignaturam fiat receptio huiuſmodi dũtaxat detur adiectio, ſi petens idoneus ſit, & aliud canonicũ non obſiſtat. & exprimatur ſi certus numerus regularium ſit ibidem, cui etiã non derogetur niſi expreſſe cõcedatur, & ſi numerus iſte non exiſtat ponatur dũmodo receptionis locus huiuſmodi nimiũ propterea nõ grauetur.

DE TRANSLATIONE RELIGIOſorum, & impetratione ꝓbeneficiorum.

ITEM ſi regularis petat ſibi de beneficio ab aliquo monaſterio vel alio regulari loco dependente prouideri, & appareat ex petitione huiuſmodi ꝙ alterius monaſterij vel loci religioſus ſit: licet inibi tranſlatio non petatur, nihilominus illa veniat.

DE CLAVSVLA SI EST ITA.

ITEM quòd in literis ſuper beneficiis per conſtitutionem execrabilis vacantibus ponatur clauſula Si eſt ita, ſimiliter de quibuſcunque narratis informationem facti requirentibus.

PETENTI PROVIDERI DE vacaturo dentur literæ de vacaturo.

ITEM petenti ſibi prouideri de vacaturo dentur literæ de vacaturo,& econuerſo prout expediérit impetranti.

EXECVTORIALES DENtur ſub bulla.

VOLVIT & ordinauit quòd mandata Apoſtolica ſuper ſententiis in Romana curia latis executioni demandandis,ſub bulla expediantur,aliàs ſint nulla.

DE REVOCATIONE DECIMarum impoſitionum,ac ſuſpenſione indulgentiarum.

ITEM reuocauit quaſcunq; decimarum ſubſidiorum,vigeſimę,& aliorum onerum impoſitiones, quę à præfato Clemente prædeceſſore ſuo ex quauis cauſa, etiã in ſubſidiũ expeditionis contra Turcas & alios orthodoxæ fidei hoſtes emanarunt, & quaſcunq; facultates ſuper decimarum vigeſimæ & onerum huiuſmodi exactione quibuſuis fructuum & prouentuum cameræ Apoſtolicę debitorũ collectoribus,& Apoſtolicæ ſedis nunciis ab eodem prędeceſſore conceſſas.,ſuſpendit quoq; ad ſuæ Sanct. & ſedis Apoſtolicę beneplacitũ quaſcunq; plenarias indulgentias ab eodé prædeceſſore ex quauis cauſa

etiam

etiam expeditionis huiuſmodi conceſſas quæ per nuncios vel quæſtores deferebantur, necnon deputandi & deligendi cõfeſſores qui plenariè abſoluãt, & alia faciant ad earũdem indulgentiarum ſuſpenſarum effectũ reliquáſve facultates ipſas indulgentias quomodolibet concernentes præterquam quo ad ea in quibus indulgentię & facultates ipſę in aliqua ſui parte ſunt ſortitæ effectũ, ita vt illis qui implẽtes iniuncta eis indulgentiarum huiuſmodi iam cõſecuti ſunt facultatẽ eligendi confeſſorẽ qui abſoluat eos plenariè in mortis articulo ꝑ huiuſmodi ſuſpenſionem non præiudicetur quin facultate ipſa vti poſsint in futurum. Decreuit quoque irritum & inane quicquid facultatum reuocatarum earundem prætextu impoſterum contigerit attentari.

ITEM reuocauit, caſſauit, & annullauit, ac irritas declarauit quaſcũq; facultates percipiendi preciũ officiorũ Roma. curię pro tempore vacantiũ in toto vel in parte, ac quaſuis collationes & cõceſsiones, aliáſq; diſpoſitiones per fe. re. Clementẽ papam vij. prędeceſſorem ſuũ de dictis officiis, etiam ex die collationũ conceſsionum & diſpoſitionũ eorũdem inanteà vacaturis in fauorẽ quarũcunq; ꝑſonarũ eccleſiaſticarũ, monaſteriorũ, piorũ locorũ, collegiorũ ſeu eorũ menſarũ etiã perpetuo, etiã in vim cõtractus & ex titulo oneroſo ac ſub alia quauis verborũ forma quã & pręmiſſorũ tenores ꝓ expreſsis haberi voluit cõceſſas, & factas quo ad officia q̃ poſt obitũ

ipſius prædeceſſoris vacarunt & impoſterum quomodolibet vacabunt.

QVOD VIGORE CLAVSVLAE maioris valoris fructus in tertia parte augeri poſsint.

Item cum nonnulli in impetrationibus beneficiorum eccleſiaſticorum pro tempore vacantium,& certo modo vacaturorum, aſſerendo illorum fructus,&c. certum per eos expreſſum annuum valorem non excedere, nonnunquam obtineant à Sanct. ſua, vt huiuſmodi valorem annuum augere poſſint, vt verius poſſit in confectione literarum ſuper huiuſmodi impetrationibus ſummá, ac valor ipſe annuus exprimi, aliter deſuper nó ſpecificato, ne de virtute huiuſmodi conceſsionis impoſterum hæſitari contingat, declarauit prætextu conceſsionis huiuſmodi valorem ipſum vſque ad tertiam partem valoris expreſsi, & in primá quæ deſuper fiet literarum expeditione duntaxat augeri poſſe,& eas quas literis iam expeditis cum expreſsione valoris ſpecificati aut non integro augmento prædicto denuò deſuper expediri contigerit literas cum aliquo augmento valoris huiuſmodi nullius eſſe roboris vel momenti, etiam ſi motu proprio beneficiales gratiæ & diſpoſitiones quęcúque à ſánctitate ſua emanarent.

Clauſula

CLAVSVLA ABSOLVTIONIS non ſuffragetur falſificatoribus & impedientibus nuntios Apoſtolicos.

Item ne perſonis pro quibus literæ ſuæ.S. emanabunt ob generalem abſolutionem à cenſuris eccleſiaſticis quibus ligatæ forent ad earundem effectum indifferentes concedi,& in literis apoſtolicis apponi ſolitam,præſtetur occaſio cenſuras ipſas vilipendendi & inſordeſcendi, in illis,ſtatuit, & ordinauit huiuſmodi abſolutionem & clauſulam in literis quas in futurum cum illa concedi continget,non ſuffragari non parentibus rei iu icatæ,incendiariis,violatoribus eccleſiarum , falſificatoribus,& falſicari procurãtibus literas, & ſupplicationes apoſtolicas, & illis vtentibus receptoribus , & fautoribus eorum, ac res vetitas ad infideles deferentibus,violatoribus eccleſiaſticæ libertatis via facti auſu temerario apoſtolicis mandatis non obtemperantibus,& nuncios vel executores apoſtolicæ ſedis,& eius officialium eis commiſſa exequẽtes impediẽtibus,qui propter præmiſſa vel aliquod eorum excommunicati à iure vel ab homine per quatuor menſes ſcienter excommunicationis ſententiam huiuſmodi ſuſtinuerint,&generaliter quibuſcunque aliis qui cenſuris aliquibus etiam aliis quam vt præfertur quomodolibet ligati in illis per

annum continuum inſorduerint.

OFFICIALES NIHIL EXIGANT vltra debitum.

Item idem dominus noſter intédens exactionibus quas ſanctitas ſuas non ſine diſplicentia plerumque fieri intellexit per officiales Romanæ curiæ, qui conſtitutis ſibi emolumentis pro exercitio officiorum quæ obtinét non contenti vltra à proſequentibus negotiorum quorumlibet expeditionem in eadem exigere non verentur obuiare volens, diſtrictè præcipiendo inhibuit omnibus & ſingulis quæuis officia in eadem Curia obtinentibus ne de cætero quicquam prætextu officiorum quæ obtinent quouis colore etiam celerioris expeditionis vltra emolumenta huiuſmodi exigere, ſeu ad hunc effectum expeditionem eorum quę eis incumbunt malitioſe differre ſub excõmunicationis, & præter illam ſuſpenſionis à perceptione emolumentorũ, huiuſmodi pro prima ad ſemeſtre, & pro ſecunda ad annum, & pro tertia vicibus quibus ſic excederét, priuationis officiorũ per eos obtentorũ in quibus ſic exceſſerint pœnis, ac voluit ꝙ ſanctæ Romanæ eccleſiæ Vicecancellarius, Camerarius, & maior Pœnitentiarius, excedentes ipſos reſpectiuè prout eis ſubſunt, per ſubſtractionem emolumẽtorũ eorundé, ac aliàs vt pręmittitur cõpellãt ab huiuſmo-

huiuſmodi illicitis exactionibus abſtinere, & contra eos per prædictas pœnas,& alias,prout melius viderint expedire procedant.

QVOD CARDINALES non comprehendantur ſub regulis poſt hanc primam editionem faciendis.

ITEM cum ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales ipſi ſanctiſſimo domino noſtro aſsiſtant, & propterea debeant ſpecialibus prærogatiuis & priuilegiis gaudere, idem dominus noſter ſtatuit, & ordinauit,decreuit, & declarauit quòd in quibuſcunque conſtitutionibus,& regulis per ſanct.ſuam impoſterum poſt hãc primam editionem & ſuarum conſtitutionum, & regularum publicationem faciendis non includantur ipſi Cardinales, niſi illæ eorundem Cardinalium fauorem concernant,vel ipſæ conſtitutiones edendæ de eorundem Cardinalium vel maioris partis eorum conſilio editę fuerint.

DE POTESTATE REVEREN-DISSIMI DOMINI VICECAN-cellarij,& Cancellarium regentes.

Abſolutio

ABSOLVTIO EORVM QVI in ſupplicationibus, vel literis ignoranter ſcribunt.

PRIMO quòd poſſit committere abſolutionem illorum qui ignoranter in ſupplicationibus, vel in literis Apoſtolicis aliquid ſcriberent, corrigerent, vel delerent.

QVOD POSSIT CORrigere nomina & cognomina.

ITEM quòd poſſit corrigere nomina & cognomina perſonarum, ac beneficiorum, dum tamen de corpore conſtet.

QVOD POSSIT COMMITTEre omnes cauſas.

ITEM quòd poſsit omnes cauſas beneficiales etiam nō deuolutas committere in Curia, cum poteſtate citandi ad partes.

QVOD POSSIT AGGRAuare proceſſus & ſententias.

ITEM quòd proceſſus autoritate Apoſtolica decretos aggrauare poſsit cùm inuocatione brachij ſecularis,

ſecularis, & ſententias executioni demandari face re contra intruſos & intrudendos per literas Apoſtolicas deſuper conficiendas,& non aliàs.

DE CONSERVATORIIS.

ITEM quòd poſsit concedere quibuſuis petẽtibus conſeruatorias per triennium in forma.

DE CELEBRANDO ANTE diem in locis interdictis.

ITEM quòd poſſit quibuſlibet nobilibus perſonis petentibus dare indultum de celebrando, & celebrari faciendo ante diem in locis interdictis, & per triennium reconciliari faciendo eccleſias,&cœmiteria polluta in forma.

QVIBVS CONCEDI POSSIT indultum de fructibus percipiendis.

ITEM prothonotariis & literarum Apoſtolicarum ſcriptoribus,ac de quibus iuxta illorum ſuffĩcientiam & idoneitatem ſibi videbitur abbreuiatoribus ſua officia in Roma.Curia pro tempore exercentibus indultum de percipiendis in abſentia ſuorum beneficiorum fructibus,etiam ſi aliàs eis tale indultum quauis autoritate conceſſum fuerit.

QVIBVS CONCEDITVR ALTAre portatile.

DOMINIS terrarum & locorum, necnon abbatibus, & per priores gubernari ſolitorum monaſteriorũ prioribus & ſuperioribus prælatis & magnorum principum conſiliariis altare portatile in forma.

QVOD POSSIT ADMITtere reſignationes.

ITEM quòd poſsit admittere & recipere reſignationes beneficiorum eccleſiaſticorum, quorũlibet etiam generaliter, vel ſpecialiter reſeruatorũ ſimpliciter, vel ex cauſa permutationis, & deſuper ſupplicationes per conceſſum ſignare pro literis apoſtolicis inde conficiendis, vt moris eſt.

QVOD POSSIT SIGNARE ſupplicationes.

ITEM quòd poſsit ſignare ſupplicationes duorum referendariorum manibus ſignatas de nouis prouiſionibus ſi neutri & ſurrogationibus pro collitigantibus, in quibus nõ detur clauſula generalem reſeruationem importans.

De ſignandis

DE SIGNANDIS PROuiſionibus.

ITEM quòd poſsit ſignare ſupplicationes, etiam manibus duorum referendariorum ſignatas de beneficiis eccleſiaſticis vacantibus ſecularibus, & regularibus diſpoſitióni apoſtolicæ, generaliter nõ reſeruatis quorũ cuiuſlibet valor centum florenorũ auri de camera, vel totidẽ librarũ turonenſiũ paruorũ ſeu totidẽ in alia moneta ſecundum communem æſtimationẽ valorem annuũ nõ excedat.

SVPER DEFECTV NATALIVM.

ITEM quòd poſsit ſignare ſupplicationes manu vnius referendarij ſignatas ſuper defectu natalium ad omnes ſacros ordines, & duo beneficia eccleſiaſtica cum cura, vel ſine cura, ſe inuicem compatientiam etiam ſi canonicatus, & præbendæ vel officia collegiatarum eccleſiarum fuerint.

SVPER DEFECTV AETATIS.

ITEM quòd in gratiis expectatiuis concedere poſſit ad obtinenda beneficia, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia curata defectũ ætatis patientibus qui.xx. ſuæ ętatis annum peregerint, & de quibus ſibi ꝙ aliàs ad hoc idonei ſint fides facta fuerit ꝙ huiuſmodi eorũ gratiæ ad ipſa

beneficia,dignitates,perſonatus,adminiſtrationes, ac officia valeant ſuúmque ſortiantur effectum, & quòd illarum vigore quamprimum ad ætatem legitimam peruenerint huiuſmodi beneficia,dignitates,perſonatus, adminiſtrationes, vel officia acceptare,& de illis ſibi prouideri facere ac ea recipere, & retinere poſsint & valeant.

DE REFORMATIONIBVS.

ITEM quòd expectatiuis & beneficiis generaliter vel ſpecialiter non reſeruatis impetrationũ quarumlibet reformationes de non obſtañ.& diſpenſationum omiſſarum, ac beneficiorum valoribus, & qualitatibus, nataliúmque defectibus ſignare poſsit.

SVPER DEFECTV AETATIS pro magnatibus.

ITEM ꝙ in expectatiuis pro nobilibus vel graduatis ſaltem viginti annos habentibus,& ad obtinenda beneficia,dignitates,perſonatus,adminiſtrationes vel officia cum cura defectum ætatis patientibus,ad illa diſpenſationum ſupplicationes ſignare poſsit de duobus annis.

DE MAIORIBVS præbendis.

ITEM quòd ſufficientibus & idoneis ac de quibus quòd tales ſint, ei facta fides extiterit, in expectatiuis ſignare poſsit ad maiores eccleſiarum præbendas, in quibus iuxta illarum ſtatuta & conſuetudines de maioribus ad maiores gradatim debet fieri aſcenſus.

DE PROROGATIONIBVS recipiendorum ordinum.

ITEM quòd poſsit ad ordines ſuſcipiendos arctatis prorogare terminos de dictis ſuſcipiendis ordinibus vſque ad proxima tunc à iure ſtatuta tempora, in quibus ſic arctati ſucceſsiue ad ipſos ordines promoueantur.

PLACET PVBLICENTVR, & deſcribantur. A.

Lectæ & publicatæ fuerunt ſupraſcriptæ Regulæ, ordinationes & conſtitutiones Romę in cancellaria Apoſtolica, Anno incarnatiōis Dominicę Milleſimo quingenteſimo trigeſimoquarto, Die verò Iouis quinta menſis Nouembris, pontificatus præfati Sanctiſ. Domini noſtri, anno primo.

F e. de Ceſis Electus Tudertineñ. cuſtos.

Regulę quatuor cā CELLARIAE APOSTOlicæ S. D. N. Pauli diuina prouidentia papæ III.

Regula prima reductionis facultatum, conceſſionum & indultorum legatis in terris Eccleſiæ cõceſſorum, iuxta diſpoſitionem iuris communis.

SANCTISSIMVS IN CHRIſto pater & dominus noſter, dominus Paulus, diuina prouidentia papa tertius, attẽdens quòd ſedis Apoſtolicæ Legati de latere in prouinciis Roma. eccleſiæ immediatè ſubiectis deputati vigore ſpecialium facultatũ eis ab eadem ſede conceſſarum ſæpius perſonis ſuarum legationum per importunitatem petentium, aut aliàs multa concedunt à quibus ſua ſanctitas abſtinet, quod à ratione alienum videtur, volénſque in præmiſsis ſalubriter prouidere: veſtigiis ſuorum prædeceſſorũ, & maximè fe. re. Iulij. ij. & Clementis. vij. inhærendo, ex præmiſsis & aliis rationabilibus cauſis animum ſuum mouentibus, omnes & ſingulas facultates, conceſsiones ac indulta quæcunque ſub quibuſ-

quibuſcunque tenoribus & clauſulis etiam deroga toriarum derogatoriis:quibuſuis Legatis latere in prouinciis, ciuitatibus & locis eidem Romanæ eccleſiæ immediatè ſubiectis, deſtinatis & deputatis, etiam ſi ex ipſius Romanæ eccleſiæ cardinalibus fuerint, auctoritate Apoſtolica conceſſas & conceſſa, cauſas beneficiales & ſpirituales duntaxat concernentes & concernentia, ad diſpoſitionem iuris communis reduxit:itavt ipſi legati quò ad illas cauſas, eorum facultatibus quantum eis à iure communi conceditur,& no aliàs vti poſsint: decernens irritum & inane quicquid ſecus earundem facultatum prætextu à dictis legatis vel quibuſlibet aliis quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari facultates autem iuriſdictionem & gubernationem temporalem prouinciarum eiſdem legatis commiſſarum , in ſuo robore permanere voluit.

REGVLA SECVNDA DE INfirmis reſignantibus.

ITEM idem Sanctiſsimus D. N. qui per certam cõſtitutionem ſuã in craſtino ſuæ aſſumptionis ad ſummi apoſtolatus apicẽ editam voluerat ꝙ ſi quis in infirmitate cõſtitutus reſignaſſet aliquod beneficiũ ſimpliciter ſiue ex cauſa permutationis, & poſtea intra xx.dies à die per ipſum reſignantem

præſtandi conſenſus computandos de ipſa infirmitate deceſsiſſet, ac ipſum beneficiũ conſerretur per reſignationem ſic factam, collatió huiuſmodi nulla eſſet, ipſumq́; beneficium nihilominus per obitum cenſeretur vacare. Voluit & declarauit quòd ſi quis reſignans aut aliâs quomodolibet dimittens beneficium aut illius commendæ cedens, ſeu ipſius beneficij vnionis diſſolutioni conſentiens, etiam vigore ſupplicationis deſuper dum eſſet adhuc ſanus ſignatę, & poſt datam eiuſdem ſupplicationis in infirmitatem incidens, ac infirmus exiſtens coram cameræ vel cancellariæ Apoſtolicæ, aut quocunque alio notario reſignationi vel dimiſsioni, aut commendæ vel vnionis diſſolutioni huiuſmodi conſenſum ſine quo literæ Apoſtolicæ per cameram vel cancellariam expediri non poſsint prȩſtiterit, & deinde intra xx. dies deceſſerit, cum alias per præmiſſa conſtitutioni prædictæ fraus fieri poſsit, & iuxta ipſam conſtitutionem dicti xxj. dies à die per ipſum reſignantem præſtandi conſenſus computare debeant, eidem conſtitutioni etiam in caſibus prȩdictis locus exiſtat. Decernens ſic per quoſcunque iudices & commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales, & palatij Apoſtolici cauſarum auditores interpretari, ſententiari & iudicari debere, ac irritum & inane ſi ſecus, &c.

REGVLA

REGVLA TERTIA DE conſenſibus præſtandis.

ITEM idem Sanctiſsimus.D.N. ad obuiandũ fraudibus quæ in retardatione annotationis conſenſuum in cancellaria vel camera Apoſtolica præſtandorum in libris cancellariæ vel cameræ huiuſmodi de more faciendis, nonnunquam committi ſolent: veſtigiis prædeceſſorum ſuorum inhærendo, voluit, ſtatuit & ordinauit quòd omnes & ſinguli conſenſus in quaſcunque reſignationes & ceſſiones, ac vnionum diſſolutiones, aliáſque diſpoſitiones pro literarum Apoſtolicarum deſuper expeditione neceſſarij vigore ſupplicationum ſuper illis pro tempore ſignatarum, coram notariis cancellariæ vel cameræ de cætero quomodolibet præſtandi, debeant per eoſdem notarios de illis rogatos intra quindecim dies poſt miſsionem ipſarum ſupplicationum ad regiſtrum vel ſummiſtam ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna in ordinariis & authenticis libris ſcribi & annotari. Diem autem miſsionis dictarum ſupplicationum ad regiſtrũ vel ſummiſtam annotabit datarius pro tempore in calce ſupplicationum conſenſum aliquem requirentium, per hæc verba, videlicet, Miſſa die tali. N. datarius. quæ verba voluit ad plenam probationem miſsionis prædictæ ſufficere. Præterea voluit quòd notarij de talibus conſenſibus rogati in

annotatione illorum in dictis libris facięda teneantur de die miſsionis huiuſmodi ſicut de datis ſupplicationum expreſſam mentionem facere, vt die pręſtationis conſenſus & die miſsionis ſupplicationū huiuſmodi ſimul iunctis, ex illorum inſpectione euidenter appareant ipſi conſenſus intra tempus pręd ictum in dictis libris annotati. Et notarij requiſiti de cætero deponendo aliquos conſenſus in libris prædictis ſi ex inſpectione dierum præſtationis conſenſuum, & miſsionis ſupplicationum, viderint dictum tempus ad annotandum conſenſus vt præfertur præfixum eſſe lapſum, tales conſenſus in dictis libris annnotare ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ pœna nullatenus præſumant, & nihilominus annotatio de illis poſt tempus prædictum pro tempore facta, ipſique conſenſus taliter annotati, ac inſtrumenta deſuper pro tempore cōfecta viribus omnino careant, nulliúſque ſint roboris vel momenti. Narratiua quoque per verbum hodie vel nuper in literis Apoſtolicis ſuper materiis ad quarum expeditionem conſenſus aliquis requiritur pro tempore expeditis poſita, contra præmiſſa minimè attendi debeat, nec aliquem effectū operetur. Decernens ſic per quoſcunque Iudices & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes interpretari & iudicari debere ac irritum, &c. ſi ſecus fiat. Inſuper voluit quòd ſi dicti notarij in præmiſſis aut aliquo præmiſſorum negligentes vel culpa-

biles

biles fuerint, vltra dictam excommunicationis ſententiam pro prima vice ſuſpenſionis à perceptione emolumentorũ officiorum ad tres menſes, per Datarium præfatum irremiſsibiliter exigendorum, & fabricæ baſilicæ ſancti Petri de vrbe applicãdorum, & ſi ſecundariò deliquerint ipſorum officiorum priuationis pœnas incurrant eoipſo.

REGVLA QVARTA de extenſione conſenſuum.

ITEM idem Sãctiſsimus D. N. cui innotuit quòd notarij cameræ & cancellariæ Apoſtolicæ, qui conſenſus in reſernationes & ceſsiones vigore ſupplicationum deſuper ſignatarum coram eis pręſtitos intra certum tempus iuxta cõſtitutiones deſuper editas in ordinariis & authenticis libris ſcribere & annotare tenebantur, videntes nonnunquam illos intra tempus huiuſmodi in eiſdem libris minimè annotatos loco ipſorum conſenſuum dabant partibus inſtrumenta reſignationum & ceſſionum ac literarũ Apoſtolicarũ expeditioni præſidentes exhibitis corã eis huiuſmodi inſtrumẽtis literas ſuper dictis reſignationibus & ceſsionibus illas admittẽdo vel admitti mãdando abſq; eo ꝙ ipſi notarij dictos conſenſus à tergo ipſarũ literarũ appoſuiſſent tam per cancellariã quàm camerã expedie-

bant. Quodque nonnulli iudices Romanæ Curiæ. Tranſſumpta ſupplicationum ſuper prouiſionibus beneficiorum & aliis gratiis ſignatarum & regiſtratarum, ac illarum prætextu literas & mandata de adipiſcenda poſſeſsione beneficiorum in illis expreſſorum antequam literæ Apoſtolicæ ſuper huiuſmodi ſupplicationibus expeditæ eſſent cõcedebant. Volens abuſibus & fraudibus huiuſmodi congruis remediis obuiare inhibuit, tam Cancellariæ & Cameræ prædictarum, quàm aliis quibuſcunque Notariis ſub excommunicationis, & xxv. duc. per Datarium noſtrum ab eis & eorum ſingulis irremiſsibiliter exigendorum, & fabricæ baſilicæ ſancti Petri de vrbe, applicãdorum eoipſo quoties contra fecerint incurrendis pœnis, ne de cætero inſtrumenta reſignationum ſiue ceſsionum beneficiorum vel officiorum in dicta Curia etiam ſine ſupplicatione pro tempore factarum, ſeu conſenſuum coram eis præſtitorum, niſi ipſi conſenſus in dictis libris ſint legitimè ſcripti & annnotati partibus tradere. Ac dictis præſidentibus, ne prætextu dictorum inſtrumentorum literas Apoſtolicas ſuper reſignationibus & ceſsionibus prædictis cum illarum admiſſione, dicendo quòd de illis per publica documenta extitit legitimè facta fides, vel mandando illas admitti conſtito quòd coram Notario & teſtibus in dicta Curia factæ ſint, de cætero expedire. Necnon quibuſuis iudicibus dictæ curiæ

quauis

quauis autoritate ſungentibus ne tranſſumpta ſup plicationum Apoſtolicarum, néve literas ſeu man datum ipſarum ſupplicationum vigore poſſeſsionem beneficiorum eccleſiaſticorum apprehendendi dare & concedere quomodolibet præſumant. Decernens irritum, &c.

PLACET, PVBLICENtur, & deſcribantur. A.

Lectæ & publicatæ fuerunt ſupraſcriptæ Regulæ Romæ in Cãcellaria Apoſtolica die Mercurij. xxiii. Decembris, anno domini Milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto. Ponti. præfati. S. D. N. anno primo.

Fe. de Ceſis electus, Tudertiñ. Cuſtos.

REGVLA CANCELLARIAE Apoſtolicæ. S.D.N. Pauli diuina prouidentia Papæ. III. de menſibus reſeruatis.

SANCTISSIMVS in Chriſto pater, & dominus noſter, dominus Paulus diuina prouidentia Papa III. qui prædeceſſorum ſuorum veſtigiis inhęrendo, gratias expectatiuas, pauperibus, & aliis clericis ſecularibus, & regularibus in principio mẽſis Maij proximè futuri concedere diſpoſuit. Cupiẽs interim donec prima generalis expeditio gratiarum earundem, per ſanctitatem ſuam concedẽdarum fiat, pauperibus eiſdem, & aliis bene meritis perſonis de beneficiis eccleſiaſticis prouidere, omnia, & ſingula beneficia eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura qualitercunque qualificata, ſecularia, & ordinum quorumcunque regularia vbilibet exiſtentia, in ſingulis, Iãuarij, Februarij, Aprilis, Maij, Iulij, Auguſti, Octobris, & Nouembris menſibus, donec eadem generalis expeditio fiat, aliàs quàm per reſignationem extra Romanam Curiam vaca

tura

tura ad collationem,preſentationem,electionem, ſeu quamuis aliam diſpoſitionem quorumcunque collatorum,& collatricum,ſecularium ,& regularium,non tamen ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium,nec ſub concordatis inter ſedem Apoſtolicam,& quoſcunque alios initis, & per eos qui illa acceptare,& obſeruare debuerũt,acceptatis,& obſeruatis,quæ lædere non intendit,compræhenſorũ quomodolibet pertinentia:diſpoſitioni ſuæ generaliter reſeruauit,& voluit quòd in ſupplicationibus, ſeu conceſsionibus gratiarum,quæ de dictis beneficiis tunc vacantibus,etiam motu proprio fient, de menſe , in quo vacauerint diſpoſitiue mentio fiat:alioquin gratiæ huiuſmodi ſint nullæ.

PLACET PVBLICEtur,& deſcribatur.A.

Lecta & publicata fuít ſupraſcripta Regula Romæ in Cancellaria Apoſtolica die Martis.xv. Decembris,anno domini Milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto.Pon.præfati.S.D.N. anno primo.

Fe.de Ceſis electus Tudertiñ. Cancellariæ Apoſtolicæ Cuſtos.

DEPVTATIO EXECVTORVM videlicet, D. Datarii & Regentis Cancellariæ ſuper reformatione officialium Romanæ Curiæ.

MOTV proprio, &c. Cum dudum fe. re. Leo Papa. x. prædeceſſor noſter ſolerti cura ſuper gregẽ dominicũ ſibi commiſſum inuigilans, & ſummo ſtudio proſpiciens, vt eccleſia quæ corpus Chriſti exiſtit, capiti ſuo Saluatori noſtro quam cõuenienter conueniri poſſet ſamularetur, ac nota abuſuum & peruerſarum conſuetudinum nullibi, præſertim Romæ vnde tota Chriſtianitas probos mores ediſcere conſueuit reſperſa appareret, Lateneñ. concilio ne pro morum & officialium Roma. Curiæ reformatione indicto, diuerſa ſalutaria inſtituta inter alia reformationem officialium Curiæ huiuſmodi concernentia vbique terrarum, & præſertim in ipſa Alma vrbe totius Chriſtianitatis primaria obſeruanda per ſuas literas edidit, prout in ipſis

in ipſis literis plenius continetur. Nos poſtmodum (diuina fauente clementia) ipſius prædeceſſoris ſuc ceſſores effecti toto cordis affectu exoptantes vt eccleſia in ſemitis veritatis & iuſtitiæ dirigatur, & quæ per dictum prædeceſſorem propterea inſtituta fuerunt ad omnipotentis Dei gloriam cõpleantur, nec in eadem curia quicquam incongruũ quod illius decentiam offuſcare poſsit inueniatur, ac exactionibus quas plerunque nonnulli illius Officiales, emolumentis eis pro officiorũ ſuorum exercitio conſtitutis non contenti, vltra à proſequentibus in dicta Curia expeditiones, ſicut diſplicenter accepimus, exigere non verentur, obuietur. Venerabiles Fratres noſtros Chriſtoforum Caſſaneñ. Datarium noſtrum & Petrum Caſtellimaris Epiſcopos Cancellariæ Apoſtolicæ Regentem, & quẽlibet eorum qui etiam Referendarij & prælati noſtri domeſtici exiſtunt, Executores literarum reformationis officialium Curiæ huiuſmodi per dictum Leonem prædeceſſorem, vt prætertur editarum, & in eis contentorum autoritate Apoſtolica ex certa noſtra ſcientia, conſtituimus & deputamus. Ipſisq; omnia & ſingula officia & illorum Collegia, ac officiales Curiæ huiuſmodi in his, quæ reformatione, emendatione, & correctione indigere cognouerint autoritate noſtra reformandi, emandandi, corrigendi, & ad debitam inſtitutionis eorundem officiorum ſemitam iuxta earundem literarũ tor-

ſtam,& tenorem reducendi. Necnon quæcunque ab ipſis officialibus nunc,& pro tempore indebitæ exacta realiter,& cum effectu reſtitui faciendi, Ipſosque officiales ad obſeruationem reformationis & reductionis,necnon reſtitutionẽ huiuſmodi per cenſuras,&pœnas eccleſiaſticas,ac etiam pecuniarum eorum arbitrio moderandas, ac ſuſpenſionis emolumentorum officiorum per eos obtentorum ad tempus prout ſibi videbitur,necnon inobedientia exigente perpetuæ priuations eorundem officiorum cogendi,& compellandi. Ac omnia,& ſingula,quæ iuxta inſtitutiones officiorum huiuſmodi pro illorum debito exercitio & partium cõmomodo neceſſaria nouerint, & opportuna faciendi, ſtatuendi,exequendi,& ordinandi,necnon quę per eos ſtatui,ordinari, & diſponi contigerint firmiter obſeruari faciendi. Ac cõtradictores & inobedientes quoſlibet , & rebelles cuiuſcunque dignitatis fuerint, etiam per eaſdem, & alias formidabiles de quibus eis videbitur cenſuras,& pœnas, ſublato diffugij, & appellationis obſtaculo eadem auctoritate noſtra compeſcendi plenam & liberam autoritatem, poteſtatem, & facultatem concedimus & impartimur: habituri gratum & ratum quicquid eoſdẽ executores ſuper his fieri, & diſponi cõtigerit, & facturi ea inuiolabiliter obſeruari Mandañ. Veneraibli fratri noſtro Hieronymo Epiſcopo Vuigornieñ. Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ

generali

generali Auditori, necnon dictæ vrbis Gubernatori vt eiſdem executoribus, in præmiſsis fauores, & auxilia opportuna præſtent. Ac diſtrictius inhibeñ. omnibus & ſingulis officialibus prædictis, & quibuſuis aliis cuiuſcunque dignitatis, &c. ſub cenſuris & pœnis arbitrio noſtro infligendis ne ipſos executores in præmiſsis, aut eorum aliquo directè vel indirectè quouis prætextu impedire, vel perturbare quoquomodo præſumant. Eiſque præcipientes vt ipſis executoribus in præmiſsis omnibus, & ſingulis realiter, & cum effectu pareant, & intendant. Ac decerneñ. irritum, &c. Non obſtan. præmiſsis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis: necnon collegiorum ſtatutis etiam Iuramento, &c. roboratis, ac priuilegiis, & indultis Apoſtolicis illis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis conceſsis & approbatis, quæ eis aduerſus præmiſſa nullatenus ſuffragari poſſe volumus. Necnõ omnibus illis quæ præfatus prædeceſſor voluit non obſtare. Cæteriſque contrariis quibuſcunque.

PLACET, ET ITA MOTV PROprio conſtituimus & deputamus. A.

Lecta die Iouis, decimaquarta Ianuarij, Anno primo Pauli tertij. 1535.

Fe. de Ceſis electus Tudertineñ. Cancellariæ Apoſtolicæ Cuſtos.

DECRETVM PRIMAE SESſionis Tridentinæ pronuntiatum per reuerēdum dominum Epiſcopum Caſtrimaris Hiſpanum, die ſeptima mēſis Ianuarii, Anno domini 1546.

SACROSANCTA TRIDENtina ſynodus in Spiritusſancto legitimè cōgregata, in ea præſidentibus tribus Apoſtolicæ ſedis Legatis, agnoſcens cum beato Iacobo apoſtolo quòd omne datū optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcēdens à patre luminum, qui iis qui poſtulant à ſe ſapientiā dat omnibus affluenter, & non improperat eis: & ſimul ſciens ꝙ initium ſapientiæ eſt timor domini: Statuit & decreuit omnes & ſingulos Chriſti fideles in ciuitate Tridentina congregatos, exhortandos eſſe, prout exhortatur, vt ſe à malis & peccatis hactenus commiſsis emendare, ac de cætero in timore domini ambulare, & deſideria carnis nō perficere, orationibus

Iaco. 1.

Eccle. 1.

inſtare,ſæpius confiteri, Euchariſtiæ ſacramentũ ſumere,eccleſias frequentare, præcepta denique diuina quantum quiſq; poterit adimplere,necnõ quotidie pro pace principũ Chriſtianorũ & vnitate Eccleſię priuatim orare velint.Epiſcopos verò & quoſcunq; alios in ordine ſacerdotali cõſtitutos œcumenicum concilium in ciuitate hac celebrantes, vt aſsiduè Dei laudibus incumbere,hoſtias, laudes, & preces offerre, ſacrificium miſſæ quolibet ſaltem die dominico, in quo Deus lucẽ condidit,& à mortuis reſurrexit, Spiritũſanctum in diſcipulos infudit, peragere ſatagãt, facientes
Actu.2. ſicut idem Spiritusſanctus per Apoſtolum præcepit,obſecrationes,orationes, poſtulationes, gratiarũ actiones pro ſanctiſsimo domino Papa,pro Imperatore,pro Regibus & cæteris qui in dignitate cõſtituti ſunt,& pro omnibus hominibus, vt quietã & tranquillam vitam agamus, pace fruamur,& fidei incrementũ videamus.Prætereа hortatur vt ieiunẽt ſaltẽ ſingulis ſextis feriis in memoriã paſsionis dñi noſtri Ieſu Chriſti,& eleemoſynas pauperibus erogent. In eccleſia autem cathedrali ſingulis quintis feriis celebretur miſſa de Spirituſancto,cũ litaniis &aliis orationib⁹ad hoc inſtitutis.In aliis verò eccleſiis dicãtur ad min⁹ litaniæ & orationes.Tẽpore autẽ quo ſacra pagẽtur,collocutiones & cõfabulationes nõ fiant:ſed ore &animo celebrãti aſsiſtatur.Et quoniã oportet

ret epiſcopos eſſe irreprehēſibiles,ſobrios,caſtos, domui ſuę bene ꝓpoſitos,hortatur etiā vt ante oīa quilibet ī mēſa ſeruet ſobrietatē, moderationē ciborū. Deniq; quū in eo loco ſępè otioſi ſermones oriri ſoleāt,& in ipſorū epiſcoporum mēſis diuinarum ſcripturarū lectio admiſceatur. Familiares verò ſuos vnuſquiſq; inſtruat & erudiat,ne ſint rixoſi,vitioſi, impudici,cupidi,elati, blaſphemi, & voluptatū auctores & amatores: vitia demū fugiāt,&virtutes amplectātur,&in veſtitu & cultu, & in oībus actibus honeſtatē prę̄ferāt,ſicut decet miniſtros miniſtrorū Dei. Adhęc quū huius ſacroſancti cōcilij præcipua cura,ſolicitudo,& intētio ſit,vt ꝓpulſatis hæreſum tenebris,q̄ ꝑ tot annos operuerūt terrā,catholicę veritatis lux,Ieſu Chriſto,qui vera lux eſt,annuēte,& cādor puritáſq; refulgeat,& ea q̄ reformatione egent reformētur, ipſa ſynodus hortatur oēs catholicos cōgregatos & cōgregādos,atq; eos pręſertim qui ſacrarū literarū peritiā habēt,vt ſedula meditatione diligēter ſecū ipſi cōſiderent, quib⁹ potiſsimū viis & modis ipſi⁹ ſynodi intētio dirigi,& optatū effectū ſortiri poſsit, quo maturi⁹ & cōſulti⁹ dānari dānāda,& probari ꝓbāda queant, ac per totū orbē oēs vno ore & eadē fide glorificēs Deū & patrē dñi noſtri Ieſu Chriſti. In ſentētiis verò dicendis, iuxta Toletani cōcilij ſtatutū,in loco bñdictionis cōſedentibus domini ſacerdotibus nullus de-

1. Ti. 3.
Titū. 1.
Ioan. 1.

beat, aut immodeſtis vocibus perſtrepere, aut tumultibus perturbare: Nullus etiam falſis, vaníſve aut abſtinatis diſceptationibus cōtēdere: ſed quicquid dicatur, ſic mitiſsima verborum prolatione temperetur, vt nec audiētes offendantur, nec recti iudicij acies perturbato animo inflectatur. Inſuper ipſa ſacra ſynodus ſtatuit & decreuit, ꝙ ſi fortè contigerit aliquos debito in loco non ſedere, & ſententiam etiam ſub verbo Placet proferré, congregationibus intereſſe, & alios quoſcunque actus facere Concilio durante, nulli propterea præiudicium generetur, nullíque nouum ius acquiratur.

DECRETVM SECVNDæ ſeſsionis cōcilii Tridentini, pronūciatum die quarta mēſis Februarii, Anno domini 1546. per reuerendum dominum Archiepiſcopum Turritanum.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Tritatis, Patris, & Filij, & Spiritusſancti hæc ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentino ſynodus in Spiritusſancto legitimè cōgregata,

in ea

in ea præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ ſedis Legatis, magnitudinem rerum tractandarum conſiderans, præſertim earum quæ duobus illis capitibus de extirpandis hæreſibus & moribus reformandis continentur, quorum cauſa præcipuè eſt congregata: agnoſcens autem cum Apoſtolo non eſſe ſibi colluctationem aduerſus carnem & ſanguinē, ſed aduerſus ſpirituales nequitias in cæleſtibus: cum eodem omnes & ſingulos in primis hortatur, vt confortentur in domino & in potentia virtutis eius, in omnibus ſumētes ſcutum fidei, in quo poſsint omnia tela nequiſsimi ignea extinguere: atque galeam ſpei ſalutis accipiant cum gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Itaq; vt hæc pia eius ſolicitudo principiū & progreſſum ſuū per Dei gratiam habeat, ante omnia ſtatuit & decreuit, præmittendā eſſe confeſsionē fidei, Patrū exēpla in hoc ſequuta, qui ſacratioribus conciliis hoc ſcutum contra omnes hæreſes in principio ſuarum actionū opponere cōſueuerunt: quo ſolo aliquando & infideles ad fidē traxerunt, hęreticos expugnarūt, & fideles cōfirmauerunt. Quare ſymbolū fidei quo ſancta eccleſia Romana vtitur, tanq̄ principiū illud in quo omnes qui fidē Chriſti profitentur neceſſariò conueniunt, ac fundamentū firmum & vnicum contra quod nunq̄ portæ inferi pręualebūt, totidē verbis quibus in oībus eccleſiis legitur, exprimendum

Eph. 6.

Mat. 16

eſſe cenſuit, quod quidem eiuſmodi eſt: Credo in vnũ Deum, &c. vt eſt in miſſali. Eadẽ ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina ſynodus in Spiritu ſancto legitimè cõgregata, in eadẽ præſidẽtibus eiſdẽ tribus ſedis Apoſtolicę Legatis, intelligẽs multos prælatos ex diuerſis partibus accinctos eſſe itineri, nonnullos etiam in via eſſe quo huc veniant: cogitánſq; omnia ab ipſa ſacra ſynodo decernẽda, eo maioris apud omnes exiſtimationis & honoris videri poſſe, quo maiore fuerint & pleniore patrũ concilio & præſentia ſancita & corroborata: ſtatuit & decreuit futurã ſeſſionem poſt præſentem celebrandã eſſe die Iouis quæ ſubſequetur dominicam Lætare proximè futuram. Interim tamen non differri diſcuſsionem & examinationem eorum quæ ipſi ſynodo diſcutienda & examinanda videbuntur.

DECRETVM TERTAE ſeſsionis Concilii Tridentini, quæ celebrata fuit quinta Aprilis eodem anno.

SAcroſancta œcumenica & generalis Tridẽtina ſynodus in Spiritu ſancto legitimè cõgregata, preſidẽtibus in ea eiſdẽ tribus Apoſtolicæ ſedis Legatis, hoc ſibi ante oĩa perpetuò proponens, vt ſub-

latis

latis omnibus erroribus puritas ipſa Euágelij in eccleſia conſeruetur, quod promiſſum ante per prophetas in ſcripturis ſanctis dñs noſter Ieſus Chriſtus Dei filius proprio ore primùm promulgauit, deinde per ſuos Apoſtolos tanq̃ fonté omnis ſalutaris veritatis & morum diſciplinæ, omni creaturæ prędicari iuſsit: proſpiciénſq; hanc veritaté & diſciplinam cótineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto, traditionibúſque ipſius Chriſti, quæ ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu-ſancto dictáte quaſi per manus traditæ ad nos vſque peruenerút: orthodoxorũ Patrum exépla ſequuta, omnes libros tam veteris q̃ noui teſtaménti (quum vtriuſq; vnus Deus ſit auctor) necnon traditiones ipſas, tum ad fidé tum ad mores pertinentes, tanq̃ vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu-ſancto dictatas, & cótinua ſucceſsione in eccleſia catholica conſeruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia ſuſcipit ac veneratur. Sacrorum verò librorũ indicem huic decreto adſcribendum cenſuit, ne cui dubitatio ſuboriri poſsit, quinam ſint qui ab ipſa ſynodo ſuſcipiantur. Sunt verò infra ſcripti Teſtamenti veteris, quinque libri Moyſi, ſcilicet Geneſis, Exod⁹, Leuiticus, Numeri, Deuteronomiú: deinde Ioſue, Iudicũ, Ruth, quatuor Regũ, Paralipomenó duo, Eſdræ duo, primus ſci & ſecũdus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Eſther, Iob, pſalteriũ Dauidicũ cétũ quinquagita

pſalmorum,Parabolę Salomonis,Eccleſiaſtes,Cãticum Canticorũ,Sapientia,Eccleſiaſticus,Eſaias, Hieremias,Baruch, Ezechiel, Daniel:Duodecim prophetæ minores,ſcilicet Oſee,Ioel, Amos, Abdias,Ionas,Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias,Aggæus,Zacharias,Malachias:Duo Machabæorum,primus ſcilicet & ſecundus:Teſtamenti noui, qnatuor Euangelia ſcilicet ſecundum Matthæum,Marcum,Lucam,&Ioannẽ:Acta Apoſtolorum à Luca Euangeliſta conſcripta:quatuordecim epiſtolæ beati Pauli Apoſtoli,ſcilicet ad Romanos,ad Corinthios duæ, ad Galatas, ad Epheſios,ad Philippenſes,ad Coloſſenſes,ad Theſſalonicenſes duæ, ad Timotheum duæ,ad Titum, ad Philemonem,ad Hebræos:Petri apoſtoli duæ,Ioãnis Apoſtoli tres:Iacobi Apoſtoli vna : vna Iudæ Apoſtoli: vna Apocalypſis Ioãnis Apoſtoli.Si quis autẽ libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus prout in Eccleſia catholica legi conſueuerunt,& in veteri vulgata Latina editione habentur,pro ſacris & canonicis non ſuſceperit,& traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit, anathema ſit.Omnes itaque intelligant quo ordine & via ipſa Synodus,poſt iactum fidei cõfeſsionis fundamentum, ſit progreſſura,& quibus potiſſimum teſtimoniis ac præſidiis in confirmandis dogmatibus,& inſtaurandis in Eccleſia moribus ſit vſura.Inſuper eadem Sacroſancta Synodus cõſiderans

ſiderans non parum vtilitatis accedere poſſe Ecclesiæ Dei,ſi ex multis Latinis editionibus, quæ circunferuntur ſacrorum librorum,quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat:Statuit & decreuit,vt hæc ipſa vetus vulgata editio,quę longo tot ſeculorum vſu in Eccleſia ipſa probata eſt in publicis lectionibus,diſputationibus, prædicationibus,aut expoſitionibus,pro authentica habeatur,& quòd eam nemo reiicere quouis prætextu audeat,vel præſumat.Præterea ad coercenda petulantia ingenia decreuit vt nemo ſuæ prudentiæ innixus,in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinę Chriſtianę pertinentium,ſacram ſcripturam ad ſuos ſenſus contorqueat,aut contra eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia,cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interprætatione ſanctarum ſcripturarum,aut etiam contra vnanimen conſenſum Patrum,ipſam ſcripturam ſacram interprętari audeat:etiam ſi huiuſmodi interprętationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contrauenerint, per ordinarios declarentur,& pœnis à iure ſtatutis puniãtur.Sed & impreſſoribus modũ in hac parte(vt par eſt)imponere volẽs,qui iã ſine modo, hoc eſt putantes ſibi licere quicquid libet,ſine licentia ſuperiorũ & eccleſiaſticorum, ipſos ſacræ ſcripturæ libros,& ſuper illos annotationes & expoſitiones quomodo libet indifferentes ſæpe tacito,ſępe etiã

ementito, prælo &(quod eſt grauius ſine nominè authoris imprimunt) alibi etiam impreſſos libros huiuſmodi temere venales habent: decreuit, & ſtatuit, vt poſthac ſacra ſcriptura, potiſsimmum verò hæc ipſa vetus & vulgata editio quã emendatiſsimè imprimatur, nulliq; liceat imprimere, vel imprimi facere quoſuis libros de rebus ſacris ſine nòmine authoris, neq; illos in futurum vendere, aut etiã apud ſe retinere, niſi primùm examinati probatiq; fuerít ab ordinario, ſub pœna anathematis & pœnę in canone Concilij nouiſsimi Lateranẽſis appoſitæ. Et ſi regulares fuerint, vltra examinationẽ & probationẽ huiuſmodi, licẽtiam quoque, à ſuis ſuperioribus impetrare teneãtur, recognitis ꝑ eos libris iuxta formã iſtarum ordinationum. Qui autem ſcripto eos communicant vel euulgant, niſi ante examinati probatíque fuerint eiſdem pœnis ſubiaceant, quibus impreſſores. Et qui eos habuerint vel legerint, niſi authorem prodiderint, pro authoribus habeantur. Ipſa verò huiuſmodi librorum probatio in ſcriptis detur, atque adeò in fronte libri vel ſcripti vel impreſsi auctenticè appareat. Idque totum hoc, etiam probatio & examen, gratis fiat, vt probanda probentur, & improbanda reprobentur.

Poſt hæc temeritatem illã reprimere volens, qua ad prophana quæque conuertuntur & verba torquentur, & ſententiæ ſacræ ſcripturæ ad ſcurrilia ſcili-

rilia ſcilicet,fabuloſa,vana,adultiones,detractiones,ſuperſtitiones,impias & diabolicas incãtationes,diuinationes,ſorte,libellos etiã famoſos:mandat & præcipit ad tollendam huiuſcemodi irreuerentiam & contemptum,& ne de cætero quiſquã quomodolibet verba ſacræ ſcripturæ ad hæc & ſimilia audeat vſurpare,vt omnes eius generis corruptores,temeratores,& violatores verbi Dei,iuris & arbitrij pœnis per Epiſcopos coerceantur.

Item hæc ſacroſancta Synodus ſtaiuit & decreuit, proximam futuram ſeſsionem tenendam & celebrandam eſſe feria quinta poſt ſacratiſsimum feſtum Pentecoſtes.

PRIMVM DECRETVM quartæ ſeſsionis Tridentini cõcilii decimaſeptima menſis Iunii, Milleſimo quingenteſimo quadrageſimoſexto celebratæ.

VT fides noſtra catholica, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, Heb.11.
purgatis erroribus in ſua ſinceritate integra & illabata permaneat,& ne populus Chriſtianus omni vẽto doctrinæ circũ-

feratur: cum ſerpens ille antiquus humani generis perpetuus hoſtis inter plurima mala quib⁹ eccleſia Dei his noſtris tēporibus perturbatur, etiā de peccato originali eiúſque remedio non ſolùm vetera, ſed noua etiam diſsidia excitauerit, ſacro ſancta œcumenica & generalis Tridentina ſynodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ ſedis Legatis, iam ad reuocādos errantes & nutantes cō firmandos accedere volens, ſacrarum ſcripturarum & ſanctorū Patrum ac probatiſsimorū conciliorum teſtimonia, & ipſius Eccleſiæ iudicium & conſenſum ſequuta, hæc de ipſo peccato originali ſtatuit, fatetur, ac declarat.

Si quis non cōfitetur primum hominem Adā cum mandatū Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & iuſtitiam in qua poſitus fuerat amiſiſſe, incurriſſeque per offenſam præuaricationis eiuſmodi iram & indignationē Dei, atque ideo mortem, quam antea illi cōminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatem ſub eius poteſtate qui mortis deinde habuit imperiū, hoc eſt diaboli, ſolúmque Adam per illam præuaricationis offenſam ſecundum corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe, anathema ſit.

Si quis Adæ præuaricationem ſibi ſoli & non eius propagini aſſerit nocuiſſe, acceptam à Deo ſanctitatem & iuſtitiam quam perdidit ſibi ſoli &

non

non nobis eum perdidiſſe, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem & pœnas corporis tantùm in omne genus humanũ tranſfudiſſe, non autem & peccatũ quod mors eſt animæ, anathema ſit: quum contradicat Apoſtolo dicenti: Per vnũ hominem peccatũ intrauit in mun- Rom. 5.
dum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.

Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine vnũ eſt, & propagatione non imitatione transfuſum, in omnibus ineſt vnicuiq; propriũ, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium aſſerit tolli, q̃ per meritum vnius mediatoris domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nos Deo reconciliauit in ſanguine ſuo, factus nobis iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio: aut negat ipſum Ieſu Chriſti meritũ per baptiſmi ſacramentũ in forma Eccleſiæ ritè collatum tam adultis q̃ paruulis applicari, anathema Actu. 4.
ſit, quia non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominib⁹, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Vnde illa Ioan. 10
vox: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũ- Galat. 3
di. Et illa: Quicũq; baptizati eſtis, Chriſtũ ĩduiſtis.

Si quis paruulos recẽtes ab vteris matrum baptizandos negat, etiam ſi fuerint à baptizatis parentibus orti: aut dicit in remiſsionẽ quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro neceſſe ſit expiari ad vitam æternam conſe-

quendam: vnde ſit conſequens, vt in eis forma baptiſmatis in remiſsionem peccatorum non vera, ſed falſa intelligatur, anathema ſit. quoniam nõ
Rom. 5 aliter intelligendum eſt id quod dixit Apoſtolus, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertrãſiit, in quo omnes peccauerũt, niſi quemadmodum Eccleſia catholica vbiq; diffuſa ſemper intellexit. Propter hanc enim regulã fidei ex traditione Apoſtolorum, etiam paruuli qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc cõmittere potuerũt, ideo in remiſsionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione
Ioan. 3. mundetur, quòd generatione contraxerunt. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.

Siquis per Ieſu Chriſti domini noſtri gratiam quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiã aſſerit non tolli totum, id quod verã & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantùm radi aut nõ imputa-
Corin. 1 ri: anathema ſit. In renatis autẽ nihil odit Deus: quia nihil eſt damnationis iis qui verè cõſepulti
1. Cor. 3 ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortẽ, qui nõ
Collo. 3 ſecundum carnẽ ambulant, ſed veterem hominẽ exuẽtes & nouum induentes qui ſecundũ Deum creatus eſt, innocẽtes, immaculati, puri, innoxij,
Rom. 8 ac Deo dilecti, effecti ſunt hæredes quidem Dei,

cohæredes

cohæredes autem Chriſti,ita vt nihil prorſus eos ab ingreſſu cæli remoretur. Manere autē in baptizatis cōcupiſcentiam vel fomitem hæc ſancta ſynodus fatetur & ſentit:quæ quum ad agonē relicta ſit,nocere nō conſentientibus, & viriliter per Ieſu Chriſti gratiā repugnantibus nō valet: quinimo qui legitimè certauerit, coronabitur. Hanc 2.Co.2. cōcupiſcentiam,quàm aliquando Apoſtolus pec- Collo.3 catum appellat, ſancta ſynodus declarat eccleſiā catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum ſit,ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.Siquis autē contrariū ſenſerit, anathema ſit.

SECVNDVM DECRETUM quartæ ſeſsionis Tridentinæ ſynodi.

EAdem ſacroſancta ſynodus piis ſummorum pontificum & probatorum cōciliorum conſtitutionibus inhærens,eáſq; amplectens,& illis adiiciens, ne cæleſtis ille theſaurus ſacrorū librorum quē Spiritusſanctus ſumma liberalitate hominibus tradidit,neglectus iaceat:ſtatuit & decreuit ꝙ in illis eccleſiis,,in qui-

bus præbenda aut præſtimoniũ, ſeu aliud quouis nomine nuncupatum ſtipẽdium pro lectoribus ſacræ theologiæ deputatum reperitur, epiſcopi, archiepiſcopi, primates, & alij locorum ordinarij, eos qui præbendam, aut pręſtimonium, ſeu ſtipendium huiuſmodi obtinent, ad ipſius ſacræ ſcripturæ expoſitionem & interpretationem per ſeipſos ſi idonei fuerint, alioquin per idoneũ ſubſtitutum ab eis epiſcopis, archiepiſcopis, primatibus, & aliis locorum ordinariis eligẽdum, etiam per ſubtractionem fructuum cogant & compellant. De cætero verò præbenda, præſtimonium, aut ſtipendium huiuſmodi, non niſi perſonis idoneis, & qui per ſeipſos id munus explicare poſsint, cõferatur: & aliter facta prouiſio nulla ſit, & inualida.

In eccleſiis autẽ metropolitani vel cathedralibus, ſi ciuitatis inſignis vel populoſa, ac etiam in collegiatis exiſtentibus in aliquo inſigni oppido etiã nullius diœceſis ſi ibi clerus numeroſus fuerit, vbi nulla prębẽda, aut pręſtimoniũ, ſeu ſtipẽdiũ huiuſmodi deputatum reperitur, prębẽda quomodocunque (pręterq̃ ex cauſa reſignationis) primò vacatura, cui aliud onus incõpatibile iunctũ, non ſit, ad eum vſum ipſo facto perpetuò cõſtituta & deputata intelligatur. Et quatenus in ipſis eccleſiis nulla vel non ſufficiens præbenda foret, Metropolitanus, vel epiſcopus ipſe per aſsignationẽ fructuum alicuius ſimplicis beneficij, eiuſdem tamen

men debitis ſupportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum ſuę ciuitatibus & diœceſis, vel aliàs prout commodius fieri poterit, de capituli concilio ita prouideat, vt ipſa ſacræ ſcripturæ lectio habeatur: ita tamen, vt quæcunque aliæ lectiones vel conſuetudine, vel qualis alia ratione inſtitutæ, ꝓpter id minimè prętermittãtur.

Eccleſiæ verò quarũ annui prouentus tenues fuerint, & vbi tam exigua eſt cleri & populi multitudo, vt theologiæ lectio in eis commodè haberi non poſsit, ſaltem magiſtrum habeant ab epiſcopo cum capituli conſilio eligendum qui clericos alióſq; ſcholares pauperes grammaticã gratis doceat: vt deinceps ad ſacræ ſcripturæ ſtudia annuente Deo, tranſire poſsint. Ideóque illi magiſtro grãmatices, vel alicuius ſimplicis beneficij fructus, quos tãdiu percipiat quamdiu in docendo perſtiterit aſsignentur, dum tamen beneficiũ ipſũ ſuo debito nõ fraudetur obſequio: vel ex capitulari, vel ex epiſcopali mẽſa, cõdigna aliqua merces perſoluatur: vel aliàs epiſcopus ipſe aliquam rationem ineat, ſuæ eccleſiæ & diœceſi accõmodã, ne pia hæc vtilis atq; fructuoſa prouiſio quouis quæſito colore negligatur.

In monaſteriis quoque monachorum, vbi cõmodè fieri id queat, etiam prælectio ſacrę ſcripturæ habeatur. Qua in re ſi abbates negligẽtes fuerint, epiſcopi locorum in hoc vt ſedis Apoſtolicæ

delegati, eos ad id opportunis remediis cōpellāt.

In conuentibus verò aliorum regularium, in quibus ſtudia commodè vigere poſſunt etiam lectio ſacræ ſcripturæ habeatur: quæ lectio à capitulis generalibus, vel prouincialibus, aſsignetur dignioribus magiſtris.

In Gymnaſiis autem publicis, vbi tam honorifica & cæterorum omnium maximè neceſſaria lectio hactenus inſtituta nō fuerit religioſiſsimorum Principum ac Rerumpublicarum pietate & charitate ad catholicæ fidei defenſionem & incrementum, ſacræque doctrinæ conſeruationem & propagationem inſtituatur: & vbi inſtituta foret, & negligeretur, reſtituatur.

Et ne ſub ſpecie pietatis, impietas diſſeminetur, ſtatuit eadē ſancta ſynodus, neminem ad huiuſmodi lectionis officium tam publicè quàm priuatim admittendum eſſe, qui prius ab episcopo loci de vita, moribus, & ſcientia examinatus, & probatus non fuerit. Quod tamen de lectoribus in clauſtris monachorum non intelligatur.

Docentes verò ipſam ſacrā ſcripturā, dum publicè in ſcholis docuerint, & ſcholares qui ī ipſis ſcholis ſtudēt, priuilegiis oībus de pceptione fructuū, præbendarū, & beneficiorū ſuorū in abſentia à iure conceſsis plenè gaudeant, & fruantur.

Quia verò chriſtianę Reip. nō minus neceſſaria eſt prædicatio Euangelij, quàm lectio, & hoc eſt

eſt præcipuum epiſcoporũ munus,ſtatuit & decreuit eadem ſancta ſynodus, omnes epiſcopos, archiepiſcopos, primates & omnes alios Eccleſiarum prælatos teneri per ſeipſos (ſi legitimè impediti non fuerint) ad prædicandum ſanctum Ieſu Chriſti Euangelium.

Si verò contigerit epiſcopos & alios prælatos legitimo detineri impedimẽto, iuxta formam generalis Concilij viros idoneos aſſumere teneantur ad huiuſmodi prædicationis officium ſalubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempſerit, diſtrictæ ſubiaceat vltioni.

Archipresbyteri quoq;, plebani, & quicunq; parochiales, vel aliàs curã animarum habentes, eccleſias, quocunq; modo obtinent, per ſe vel alios idoneos ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltẽ dominicis, & feſtis ſolennibus plebes ſibi cõmiſſas pro ſuo & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo ea quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annuntiandóque eis cum breuitate & facilitate ſermonis vitia quę eos declinare, & virtutes quas eos ſectari oportet, vt pœnam æternam euadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant. Id verò ſi quis eorum præſtare negligant, etiã ſi ab epiſcopi iuriſdictione quauis ratione ſe exemptum eſſe prætenderet, etiã ſi eccleſię quouis modo exemptę dicerẽtur, aut alicui monaſterio etiã extra diœceſim exiſtẽti for-

ſan annexæ vel vnitæ, modo re ipſa diœceſi ſint,
Thre.4. prouida paſtoralis Epiſcoporum ſolicitudo non deſit, ne illud impleatur: Paruuli petierunt panem & non erat qui frangeret eis. Itaque vbi ab Epiſcopo moniti, trium menſium ſpatio muneri ſuo defuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas ſeu aliàs ad ipſius Epiſcopi arbitrium cogantur. Ita vt etiam ſi, ei ſic expedire viſum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri qui id præſtet, honeſta aliqua merces perſoluatur, donec principalis ipſe recipiens officium ſuum impleat. Si quæ verò parochiales eccleſiæ reperiantur ſubiectæ monaſteriis in nulla diœceſi exiſtentibus, ſi Abbates & regulares prælati in prædictis negligentes fuerint, à Metropolitanis in quorum prouinciis diœceſes ipſæ ſitæ ſunt tanquam quo ad hoc ſedis Apoſtolicæ delegatis compellantur. Neque huius decreti executionem conſuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, ſiue recurſus impedire valeat, quouſq; deſuper à competenti iudice, qui ſummariè & ſola facti veritate inſpecta procedat, cognitum ſit & deciſum.

Regulares verò cuiuſcunque ordinis, niſi à ſuis ſuperioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum dicentia, etiamſi in eccleſiis ſuorum ordinum, prædicare nõ poſſint: cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere

tere teneantur antequam prædicare incipiant.

In eccleſiis verò quæ ſuorum ordinum nõ ſunt, vltra licentiam ſuorum ſuperiorum etiam Epiſco pi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Ec cleſiis non ſuorum ordinum nullo modo prædica re poſsint. Ipſam autem licentiam Epiſcopi gratis concedant.

Si verò (quòd abſit) prædicator errores, aut ſcandala diſſeminauerit in populum, etiam ſi in monaſterio ſui vel alterius ordinis prædicet, Epiſcopus ei prædicationem interdicat. Quòd ſi hæreſes prædicauerit, contra eum ſecundum iuris diſpoſitionem aut loci conſuetudinem procedat, etiam ſi prædicator ipſæ generali vel ſpeciali priuilegio exemptum ſe eſſe prætenderet. Quo caſu, Epiſcopus auctoritate apoſtolica, & tanquam ſedis apoſtolicæ delegatus procedat. Curent autem Epiſcopi, ne quis prædicator vel ex falſis informationibus, vel aliàs calumnioſè vexetur, ne iuſtam de eis conquerendi occaſioné habet.

Caueant præterea Epiſcopi, ne aliquem vel eorũ qui cum ſint nomine regulares, extra clauſtra tamen & obedientiam religionum ſuarum viuũt, vel presbyterorum ſecularium, niſi ipſis noti ſint & moribus atque doctrina probati, etiam quorũlibet priuilegiorũ prętextu, in ſua ciuitate vel diœceſi prædicare permittant, donec ab ipſis Epiſco-

pis ſuper eo ſancta ſedes Apoſtolica conſulatur: à qua priuilegia huiuſmodi, niſi tacita veritate, & expreſſo mendatio, ab indignis, extorqueri veriſimile non eſt.

Ferẽtes re Contra deliquias.

Quæſtores verò elemoſynarij, qui etiam quęſtuarij vulgo dicuntur, cuiuſcunque conditionis exiſtãt, nullo modo nec per ſe, nec per aliũ prædicare præſumant: & contra facientes, ab Epiſcopis & ordinariis locorum priuilegiis quibuſcunque non obſtãtibus, opportunis remediis omnino coerceantur.

Item hæc ſacroſancta Synodus ſtatuit & decreuit, primam futuram ſeſsionem tenendam & celebrandam eſſe die Iouis feria quinta poſt feſtum beati Iacobi Apoſtoli.

DECRETVM DE PECcato Originali ſacroſancti œcumenici concilii Tridentini, ſeſſione quinta, vno Patrum conſenſu promulgatum.

SAcroſancta œcumenica Tridẽ-
tina ſynodus, ĩ ſpiritu ſancto le-
gitimè congregata, præſidenti-
bus nomine ſanctiſsimi domi-
ni noſtri Pauli, diuina prouidẽ-
tia papæ.3. Reuerendiſs. domi-
nis, D. Ioãne Maria de mõte, epiſcopo Præneſti-
no, & Marcello Ceruino tituli ſanctæ Crucis in
Hieruſalem presbytero, & Riginaldo Polo tituli
ſanctæ Mariæ in Coſmedin, ſanctæ Romanæ ec-
cleſiæ cardinalibus, & Apoſtolicis de latere lega-
tis. Et ſi oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt
manifeſti fiãt, decet tamen, vt fides catholica, ſine 1.Co.11.
qua impoſſibile eſt placere Deo, extirpatis erro-
ribꝰ vniuerſis in vna ſynceritate integra & illibata
permaneat, quo per eã eccleſia ſancta Dei de ſuis
hoſtibus à quibus nunquam nõ impetitur, glo-
rioſiſsima triumphare poſsit. Cum igitur noſtris
etiam temporibus, de peccato originali, & de il-
lius remedio, quæ velut Chriſtianæ noſtræ fidei
fores, omnibus citra controuerſiam manifeſtiſsi-
ma eſſe debuerant, ſerpens ille antiquus humani
generis perpetuus hoſtis, noua certamina ſuſcita-
uerit, iam tandem ad reuocandos errantes, & nu-
tantes confirmandos ſeſe accingens, indeque ſu-
mens exordium, vnde & morbus cœpit, ne popu-
lus Chriſtianus omni vento doctrinæ circuntera-
tur, ſacrarum ſcripturarum & ſanctorum Patrum

& probatorum conciliorum teſtimonia, & ipſius catholicæ eccleſiæ iudicium & conſenſum ſecuta, hæc de ipſo peccato originali ſtatuit.

CANONES.

SI quis non confitetur primum hominem Adã, cum mandatũ Dei in paradiſo fuiſſet trãſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & iuſtitiam, in qua creatus fuit, amiſiſſe, incurriſſéque per offenſam huiuſmodi præuaricationis iram & indignationem dei, atque adeò mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatem ſub eius poteſtate, qui deĩde mortis habuit imperium, hoc eſt diaboli, totúmque Adam, per illam præuaricationis offenſam, ſecundum corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe, anathema ſit.

De cõſ. diſt. 24. ca. firmiſsime.

2 Si quis ſoli Adæ, præuaricationem ſuam, non alius etiam & eius propagini aſſerit nocuiſſe, acceptam à Deo ſanctitatem, & iuſtitiam, quam perdidit, non nobis, ſed ſibi ſoli perdidiſſe, inquinatóque illo per inobediẽtiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum, & ſecundum communem legem transfudiſſe, nõ autem & peccatũ, cui pro pœna debebatur vtraque mors corporis videlicet & animę, anathema ſit. Cum contradicat Apoſtolo dicenti, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per pecca-

Rom. 5.

peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. 2.Co.5.

Siquis morbum huius originalis peccati, quod vnum eſt, & in nobis, propagatione, non imitatione diffuſum reſidet, vnicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires vel per aliud remedium aſſerit auferri quàm per meritum vnius domini noſtri Ieſu Chriſti, qui Deo nos in ſanguine ſuo recõciliauit, factus nobis ſanctificatio, iuſtitia, & redẽptio: aut negat ipſum meritum nobis per fidem & baptiſmi ſacramentũ applicari, anathema ſit. Huic enim omnes prophetę teſtimonium perhibent remiſsionẽ peccatorum accipere per manum eius, omnes qui credunt in eum, neque aliud nomẽ eſſe ſub cælo datum hominibus, in quo opporteat nos ſaluos fieri. Vnde illa vox, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, & illa, Quicunque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Act. 10. Act. 4. Ioan. 1. Galat. 3

Si quis paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat etiam fuerint à baptizatis parẽtibus orti, aut dicit in remiſsionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quòd regenerationis lauacro neceſſe ſit expiari ad vitam æternam conſequendam, vnde ſit conſequens vt in eis forma baptiſmatis in remiſsionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur, anathema ſit. Quoniam non aliter intelligendum eſt, quod ait Apoſt. per vnum

Rom.5. peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt, niſi quemadmodũ eccleſia catholica, vbique diffuſa, ſemper intellexit. Propter hanc enim regulã fidei ex traditione apoſtolorũ etiã paruuli, qui nihil peccatorũ in ſemetipſis adhuc cõmittere potuerũt, ideo in remiſsionẽ peccatorũ veraciter baptizãtur, vt in eis regenera

Ioan. 3. tione mundetur, ꝙ generatione cõtraxerãt. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, nõ poteſt introire in regnũ Dei. Hanc fidei & ſanctorũ Patrũ normam imitando, hoc ſancta ſynodus fatetur ac declarat, in baptiſmate per Ieſu Chriſti gratiam, quam confert & continet, non modo remitti reatum originalis peccati, ſed totũ id auferri, quod veram & propriam rationem peccati habet.

Siquis ergo per Ieſu Chriſti domini noſtri gratiã quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam aſſerit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud didit tantum radi: aut nõ imputari, anathema ſit. In renatis enĩ nihil odit Deꝰ, quia nihil eſt damnationis iis qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto, per baptiſma in mortem, qui nõ

Rom. 8 ſecundum carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & nouum, qui ſecundum Deũ creatus eſt, induẽtes: innocentes, immaculati, puri, in-

noxij

noxij,ac Deo dilecti effecti ſunt,hæredes quidem Dei,cohæredes autem Chriſti, ita vt nihil prorſus eos ab ĩgreſſu cœli remoretur. Manere autẽ in baptizatis concupiſcentiam,vel fomitem hæc ſancta ſynodus fatetur & ſentit,quę cum ad agonem relicta ſit nocere non cõſentientibus , & viriliter perChriſti Ieſu gratiã repugnãtibus nõ valet,quinimo qui legitimè certauerit,coronabitur. Hanc concupiſcentiã,quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat,ſancta ſynodus declarat,eccleſiã catholicam nunquã intellexiſſe peccatũ appellari,ꝗ verè & propriè in renatis peccatum ſit,ſed quia ex peccato eſt,& ad peccatum inclinat.Si quis autem contrarium ſenſerit,anathema ſit. Rom.7.

DECRETVM DE IVSTI ficatione factum Tridẽ.in.6. ſeſsione,die.13. Ianuarii.1547.

CVM hoc tempore non ſine multarum animarum iactura, & graui eccleſiaſticæ vnitatis detrimento erronea quædam diſſeminata ſit de iuſtificatione doctrina: ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, eccleſiæ tranquillitatem, &

& animarum ſalutem, ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, in Spirituſancto legitimè cõgregata, præſidẽtibus in ea nomine ſanctiſsimi in Chriſto patris, & domini noſtri D. Pauli diuina prouidentia papæ tertij, reuerendiſsimis dominis, dominis Ioanne Maria epiſcopo Preneſtino de Monte, & Marcello tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem, presbytero ſanctæ Romanæ eccleſię cardinalibus, & Apoſtolicis de latere Legatis, exponere intẽdit omnibus Chriſti fidelibus veram ſanámque doctrinã ipſius iuſtificationis, quam Sol iuſtitiæ Chriſtus Ieſus fidei noſtræ author & conſummator docuit, Apoſtoli tradiderunt, & catholica eccleſia, Spirituſancto ſuggerẽte, perpetuò retinuit: diſtrictius inhibendo, ne deinceps audeat quiſquam aliter credere, prædicare, aut docere, quàm præſenti decreto ſtatuitur ac declaratur.

DE NATVRAE ET LEGIS AD iuſtificandos homines imbecillitate. Cap. I.

PRimùm declarat ſacroſancta ſynodus, ad iuſtificationis doctrinã probè & ſyncerè intelligendã oportere vt vnuſquiſq; agnoſcat & fateatur, quòd cum omnes homines in præuaricatione Adæ innocẽtiam perdidiſſent, facti immundi, & (vt Apoſtolus inquit) natura filij iræ, quemadmodum

admodum in decreto de peccato originali expoſuit, vſqueadeò ſerui erant peccati, & ſub poteſta te diaboli ac mortis, vt nõ modo gentes per vim naturæ, ſed ne Iudæi quidem per ipſam etiam literam legis Moyſi inde liberari, aut ſurgere poſſent: tametſi in eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſet, viribus licet attenuatum & inclinatum. Ephe. 2.

DE DISPENSATIONE ET MYſterio aduentus Chriſti. Cap. II.

QVo factum eſt, vt cæleſtis pater, pater miſericordiarum & Deus totius cõſolationis, Chriſtum Ieſum filium ſuũ, & ante legem, & legis tẽpore multis ſanctis patribus declaratum ac promiſſum, cum venit beata illa plenitudo temporis ad homines miſerit, vt & Iudæos, qui ſub lege erant, redimeret: & gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc propoſuit Deus propitiatorẽ per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris, non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi. Ephe. 1. 1. Ioã. 2.

QVI PER CHRISTVM IVſtificantur. Cap III.

VErùm & ſi ille pro omnibus mortuis eſt, nõ omnes tamẽ mortis eius beneficiũ recipiũt, ſed ij duntaxat, quibus meritũ paſsionis cõmunicatur. Nã ſicut reuera homines niſi ex eius ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur iniuſti cum ea propagatione per ipſum dũ concipiantur propriam iniuſtitiam contrahant: ita niſi in Chriſto renaſcerẽtur, nunquam iuſtificarentur cum ea renaſcentia, per meritum paſsionis eius gratia qua iuſti fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apoſtolus gratias nos ſemper agere hortatur patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, & eripuit de poteſtate tenebrarum, tranſtulitque in regnum filij dilectionis ſuę, in quo habemus redemptionem & remiſsionem peccatorum.

Coloſ. 5

INSINVATVR DESCRIPTIO iuſtificationis impij, & modus eius in ſtatu gratiæ Cap. IIII.

QVibus verbis iuſtificationis impij deſcriptio inſinuatur, vt ſit tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorũ Dei, per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum ſaluatorẽ noſtrum. Quæ quidem tranſlatio poſt euangeliũ promulgatum, ſine lauacro regenerationis, aut

eiu

eius voto, fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Ioan.2.

DE NECESSITATE PRAEPARATIONIS ad iuſtificationem adultis, & vnde ſit. Cap. V.

DEclarat preterea ipſius iuſtificationis exordium in adultis, à Dei per Chriſtum Ieſum, præuenente gratia, ſumendum eſſe, hoc eſt ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur: vt qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem atque adiuuentem gratiam, ad conuertandum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem eidem gratiæ libere aſſentiendo & cooperando, diſponantur: ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illã recipiens, quippe qui & illá abiicere poteſt, neq; tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiã corã illo libera ſua voluntate poſsit. vnde in ſacris literis cũ dicitur, Cõuertimini ad me, & ego cõuertar ad vos, libertatis noſtrę admonemur, cũ reſpõdemus, Cõuerte nos domine ad te, & cõuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur. Zach.1. Pſal.84.

MODVS PRAEPARATIONIS. Cap. VI.

DIſponuntur autẽ ad ipſam iuſtitiã, dum excitati diuina gratia & adiuti, fidẽ ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deũ, credentes vera eſſe quæ diuinitus reuelata & promiſſa ſunt: atque illud in primis à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem quę eſt in Chriſto Ieſu; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à diuinæ iuſtitiæ timore quo vtiliter concutiuntur ad cõſiderandam Dei miſericordiã, ſe conuertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illúmq; tanq̃ omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduerſus peccata per odium aliquod & deteſtationẽ, hoc eſt per eã pœnitẽtiam, quam ante baptiſmum agi oportet: deniq; dum proponunt ſuſcipere baptiſmum inchoare nouam vitam, & ſeruare diuina mandata. De hac diſpoſitione ſcriptum eſt: Accedẽtem
Heb.11. ad Deũ oportet credere quia eſt, & ꝙ inquirenti-
Mat.9. bus ſe remunerator ſit. &, Cõfide fili, remittũtur
Eccle.1 tibi peccata tua. &, Timor domini expellit pecca
Actu.2. tum. &, Pœnitentiam agite. &, baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionẽ peccatorum veſtrorum. &, Accipietis donũ
Mat.28 Spiritusſancti. &, Euntes ergo docete omnes gẽtes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, &
1.Re.2. Spũſſancti: docẽtes eos ſeruare ea quęcũq; mãdaui vobis, deniq;, Pręparate corda veſtra domino.

Quid

QVID SIT IVSTIFICATIO IMpiis, & quæ eius cauſæ. Cap. VII.

HAnc diſpoſitionem, ſeu preparationem, iuſtificatio ipſa cōſequitur, quæ non eſt ſolo peccatorum remiſsio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariā ſuſceptionē gratiæ & donorū. vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico fit amicus, vt ſit hæres ſecundū ſpem vitę æternæ. Huius iuſtificatio- Ephe. 1.
nis cauſę ſunt: Finalis quidē, gloria Dei & Chriſti, ac vita æterna: Efficiēs verò, miſericors Deus, qui gratuito abluit & ſanctificat, ſignans & vnguens ſpiritu promiſsionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtrę. Meritoria autē dilectiſsimus vnigenitus ſuus dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cū eſſemus inimici, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, ſua ſanctiſsima paſsione, in ligno crucis nobis iuſtificationē meruit, & pro nobis Deo patri ſatisfecit instrumentalis. Item, ſacramentū baptiſmi, quod eſt ſacramentū fidei, ſine qua nulli vnquam iuſtificatio contigit. Demum vnica formalis cauſa eſt, iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit: qua videlicet ab eo donati renouamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed verè iuſti nominamur, & ſumus, iuſtitiam in nobis recipientes, vnuſquiſq; ſuam ſecundum menſurā quam Spiritusſanctus

partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriā cuiuſq; diſpoſitionem & cooperationem. Quanq̃ enim nemo poſsit eſſe iuſtus, niſi cui merita paſſionis domini noſtri Ieſu Chriſti cõmunicantur: id tamen in hac impij iuſtificatione fit, dum eiuſdem ſanctiſsimæ paſsionis merito, per ſpiritū ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, atq; ipſis inhęret. Vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſsione peccatorū, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtū, cui inſeritur fidē, ſpem, & charitatem. Nam fides, niſi ad eā ſpes accedat, & charitas, neq; vnit perfectè cum Chriſto, neq; corporis eius viuū mem-
Iaco. 2. brum efficit, qua ratione veriſsimè dicitur, Fidem
Gala. 5 ſine operibus mortuam & ocioſam eſſe: & in Chriſto Ieſu neque circūciſionem aliquid valere, neq; præputium, ſed fidem, quæ per charitatem operatur. Hanc fidem ante baptiſmi ſacramentum ex Apoſtolorum traditione cathecumeni ab eccleſia petunt, cum petunt fidem vitam æternā præſtantem, quam ſine ſpe & charitate fides præſtare non poteſt. vnde & ſtatim verbum Chriſti audiūt,
Mat. 19 Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Itaque veram & chriſtianam iuſtitiam accipientes, eam ceu primam ſtolam, pro illa quam Adam ſua inobediētia ſibi & nobis perdidit, per Chriſtum Ieſum, illis donatam, candidam & immaculatam, iubētur ſtatim renati conſeruare, vt perferant ante tri-

te tribunal domini noſtri Ieſu Chriſti, & habent vitam æternam.

QVOMODO INTELLIGATVR impium per fidem, & gratis iuſtificari. Cap. VIII.

CVm verò Apoſtolus dicit iuſtificari hominem per fidem, & gratis: ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus eccleſiæ catholicæ conſenſus tenuit & expreſsit, vt ſcilicet per fidem ideo iuſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius cōſortium peruenire. Gratis autem iuſtificari ideo dicimur, quia nihil eorum quæ iuſtificationem præcedūt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiā promeretur. Si enim gratia eſt, iam non ex operibus, alioquin, vt idem Apoſtolus inquit, gratia iam non eſt gratia. Iaco. 2.

CONTRA INANEM HAERETICORUM fiduciam. Cap. IX.

QVanuis autē neceſſarium ſit credere, neq; remitti, neq; remiſſa vnq̄ fuiſſe peccata niſi gratis, diuina miſericordia ꝓpter Chriſtū:

nemini tamen fiduciam & certitudinē remiſsionis peccatorum ſuorū iactanti & in ea ſola quieſcenti, peccata dimitti vel dimiſſa eſſe, dicendum eſt cū apud hæreticos & ſchiſmaticos poſsit eſſe, imò noſtra tēpeſtate fit, & magna contra eccleſiam catholicā contentione prædicetur, vana hęc & ab omni pietate remota fiducia. Sed neq; illud aſſerendum eſt, oportere eos qui verè iuſtificati ſunt, abſq; vlla omnino dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere ſe eſſe iuſtificatos, neminémque à peccatis abſolui, ac iuſtificari, niſi eum qui certo credat, ſe abſolutū & iuſtificatum eſſe, atq; hac ſola fide abſolutionē & iuſtificationē perfici: quaſi qui hoc non credit, de Dei promiſsis, déque mortis & reſurrectionis Chriſti efficacia, dubitet. nam ſicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, déq; ſacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: ſic quilibet dum ſeipſum, ſuámq; propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt: cum nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui nō poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.

DE ACCEPTAE IVSTIFICAtionis incremento. Cap. 10

SIc ergo iuſtificati, & amici Dei ac domeſtici facti, euntes de virtute in virtutem, renouatur

tur (vt Apoſtolus inquit) de die in diem: hoc eſt, 2.Co.4.
mortificando membra carnis ſuæ, & exhibendo
ea arma iuſtitiæ in ſanctificationem per obſerua-
tionem mandatorum Dei & eccleſiæ, in ipſa iu-
ſtitia per Chriſti gratiam accepta, cooperante fi-
de, bonis operibus creſcunt, atque magis iuſtifi-
cantur, ſicut ſcriptum eſt: Qui iuſtus eſt, iuſtifice- Apo.22
tur adhuc. & iterum, Ne verearis vſque ad mor- Eccl.18
tem iuſtificari. & rurſus, Videbitis quoniam ex o- Iacob.3
ribus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum.
Hoc verò iuſtitiæ incrementū petit ſancta eccle-
ſia, cum orat, Da nobis Domine fidei, ſpei, & cha-
ritas augmentum.

DE OBSERVATIONE MANdatorum, déque illius neceſsitate & poſsibilitate. Cap.11.

NEmo autem quantumuis iuſticatus, liberū ſe eſſe ab obſeruatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa, & à patribus ſub anathemate prohibita voce vti, Dei præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſsibilia, nam Deus impoſsibilia non iubet, ſed iubēdo monet & facere quod poſsis, & petere quod non poſsis, & adiuuat vt poſsis. cuius mandata grauia non ſunt: cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue. qui enim ſunt filij Dei, Chriſtum diligunt: Mar.11.

Matt.11 qui autem diligunt eum, vt ipſemet teſtatur, ſer-
Ioan.14 uant ſermones eius. quod vtique cum diuino au-
xilio præſtare poſſunt. licet enim in hac mortali
vita, quantumuis ſancti & iuſti, in leuia ſaltem &
quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata
quandoque cadent: non propterea deſinunt eſſe
iuſti. nam iuſtorum illa vox eſt, & humilis, & ve-
Matt.6 rax, Dimitte nobis debita noſtra. quo fit, vt iuſti
ipſi eo magis ſe obligatos ad ambulandum in via
iuſtitiæ ſentire debeant, quo liberati iam à pecca-
to, ſerui autem facti Deo, ſobriè, iuſtè, & piè viuē
tes, proficere poſſunt per Christum Ieſum, per quē
Tit.2. acceſſum habuerunt in gratiam iſtam. Deus nan-
que ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi
ab eis prius deſeratur. Itaque nemo ſibi in ſola ſi-
de blandiri debet, putans fide ſola ſe hæredem eſ-
ſe conſtitutum, hæreditatemque conſequuturum,
Phili. 2. etiam ſi Chriſto non compatiatur, vt & conglori
ficetur. nam & Chriſtus ipſe (vt inquit Apoſtolus)
cū eſſet filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt o-
bedientiam & conſummatus, factus eſt omnibus
obtēperatibus ſibi, cauſa ſalutis æternę. Propterea
1.Co.9. Apoſtolus ipſe monet iuſtificatos, dicens: Neſcitis
quòd ij qui in ſtadio currunt, omnes quidem cur-
runt, ſed vnus accipit brauium: ſic currite, vt com
prehendatis. ego igitur ſic curro, non quaſi in in-
certum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans, ſed
caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne
forte

ſortè cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus effi-
ciar. Item princeps apoſtolorum Petrus, Satagite,
vt per bona opera certam veſtram vocationem &
electionem faciatis. hæc enim faciẽtes, nõ pecca- 2. Pet. 1.
bitis aliquando. Vnde conſtat eos orthodoxæ re-
ligionis doctrinæ aduerſari, qui dicunt iuſtum in
omni bono opere, ſaltem venialiter peccare, aut
(ꝙ intolerabilius eſt) pœnas æternas mereri: atq;
etiam eos qui ſtatuunt in omnibus operibus iu-
ſtos peccare, ſi in illis ſuam ipſorum ſocordiam ex
citando, & ſeſe ad currendnm in ſtadio cohortan
do, cum hoc, vt in primis glorificetur Deus, mer-
cedem quoque intuentur æternam, cum ſcriptum
ſit, Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificatio- Pſa. 124
nes tuas propter retributionem: & de Moſe dicat
Apoſtolus, quòd reſpiciebat in remunerationem.

PRAEDESTINATIONIS TEMERariá præſumptionem cauendá eſſe. Cap. XII.

NEmo quoq; quandiu in hac mortalitate vi
uitur, de arcano diuinæ prædeſtinationis
myſterio vſqueadeò præſumere debet, vt
certo ſtatuat ſe omnino eſſe in numero prædeſti-
natorum: quaſi verum eſſet, quòd iuſtificatus, aut
amplius peccare nõ poſsit, aut ſi peccauerit, cer-
tam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat. Nam
niſi ex ſpeciali reuelatione, ſciri non poteſt, quos
Deus ſibi elegerit.

DE PERSEVERANTIAE MVnere. Cap. XIII.

SIMILITER de perſeuerãtiæ munere, de quo
Mat. 24 ſcriptum eſt, Qui perſeuerauerit vſque in finẽ
hic ſaluus erit: quod quidem aliũde haberi nõ
poteſt, niſi ab eo qui potẽs eſt eum qui ſtat, ſtatue-
re, vt perſeueranter ſtet, & eum qui cadit reſtitue-
re: nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine
polliceatur. tametſi in Dei auxilio firmiſsimã ſpẽ
collocare & reponere omnes debent. Deus enim
Phil. 2. niſi ipſi illius gratię defuerint, ſicut cœpit opus bo
num, ita perficiet, operans velle & perficere. Ve-
runtamen qui ſe exiſtimant ſtare, videãt ne cadẽt:
& cum timore ac tremore ſalutem ſuam operen
tur, in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in ora
tionibus, & oblationibus, in ieiuniis, in caſtitate,
formidare enim debent, ſciẽtes quòd in ſpem glo
riæ, & nõdum in gloria renati ſunt de pugna quæ
ſupereſt cum carne, cum mundo, cum diabolo, in
qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia
Rom. 8 apoſtolo obtemperent dicenti, Debitores ſumus
non carni, vt ſecundum carnem viuamus. Si enim
ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem
ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

DE LAPSIS, ET EORVM reparationẽ. Cap. 14.

QVI verò ab accepta iuſtificationis gratia p
peccatũ exciderũt, rurſus iuſtificari pote-
runt,

runt,cum excitante Deo,per pœnitentię ſacramé
tum,merito Chriſti,amiſſam gratiam recuperare
procurauerint. Hic enim iuſtificationis modus,eſt
lapſi reparatio:quam ſecundam poſt naufragium
deperditæ gratiæ tabulam ſancti patres apte nun
cuparunt. Et enim pro his qui poſt baptiſmum in
peccata labuntur,Chriſtus Ieſus ſacramé tum in-
ſtituit pœnitentiæ,cum dixit,Accipite ſpiritũ ſan Ioã.20.
ctum:quorum remiſeritis peccata remittuntur,
& quorum retinueritis, retenta ſunt. Vnde do-
cendum eſt, Chriſtiani hominis pœnitentiã poſt
lapſum,multo aliam eſſe à baptiſmali:eaque con-
tineri nõ modo ceſſationem à peccatis,& eorum
deteſtationé,aut cor cõtritum & humiliatũ,verũ-
etiã eorundem ſacramentalé confeſsionem, ſalté
in voto,& ſuo tempore faciendam,& ſacerdota-
lem abſolutionem: Itemque ſatisfactionem,per ie
iunia,eleemoſynas,orationes,& alia pia ſpiritua-
lis vitæ exercitia:non quidem pro pœna æterna,
quæ vel ſacramento,vel ſacramenti voto veſtra
cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali:
quæ(vt ſacræ literæ docent) non tota ſemper, vt
in baptiſmo fit,dimittitur illis qui gratiæ Dei quã
acceperunt,ingrati ſpiritum ſanctum contriſtaue
runt,& templum Dei violare non ſunt veriti.de
qua pœnitentia ſcriptum eſt : Memor eſto vnde Apoc.2
excideris:age pœnitentiam,& primum opera fac,
& iterum, Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt pœ- 2.Co.7

nitētiam in ſalutem ſtabilem operatur. & rurſus,
Luc. 3. Pœnitētiā agite, facite fructus dignos pœnitētiæ.

QVOLIBET PECCATO MORtali amitti gratiam, ſed non fidem. Cap. xv.

ADVERSVS etiam hominum quorundā callida ingenia, qui per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentiū, aſſerendum eſt non modo infidelitate, per quam & ipſa fides amittitur, ſed etiam quocunq; alio mortali peccato, quanuis nō amittatur fides, acceptā iuſtificationis gratiā amittit, diuinæ legis doctrinā defendendo, quæ à regno Dei nō ſolum infideles excludit, ſed & fideles quoque fornicarios, adulteros, moles, maſculorum, cōcubitores, fures, auaros, ebrioſos, maledicos, rapaces, cæteróſque omnes, qui lhetalia committunt peccata, à quib9 cum diuinæ gratiæ adiumento, abſtinere poſſunt, & pro quibus à Chriſti gratia ſeparentur.

DE FRVCTV IVSTIFICATIOnis, hoc eſt, de merito bonorum operum, deque ipſius meriti ratione. Cap. xvIII.

HAc igitur ratione iuſtificatis hominib9, ſiue acceptā gratiā perpetuo cōſeruauerint, ſiue amiſſam recuperauerint, proponenda ſunt

Apoſtoli

Apoſtoli verba, Abundate in omni opere bono, 1.Co.15.
ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in domi
no. Nō enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur o-
peris veſtri, & dilectionis, quā oſtendiſtis in nomi
ne ipſius. &, Nolite amittere confidentiā veſtram,
quę magnā habet remuneratione. Atq; ideo bene
operantibus vſque in finem, & in Deo ſperātibus,
proponenda eſt vita æterna: & tanquam gratia, fi
liis, Dei per Chriſtū Ieſum miſericorditer ꝓmiſſa:
& tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bo
nis ipſorū operibus & meritis, fideliter reddenda.
Hæc eſt enim illa corona iuſtitiæ, quam poſt ſuū
certamen & curſum repoſitam ſibi eſſe aiebat A- 2.Tim.4
poſtolus, à iuſto iudice ſibi reddendam: non ſolum
autem ſibi, ſed & omnibus qui diligūt aduentum
eius. Cùm enim ille ipſe Chriſtus Ieſus tanquam
caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in
ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influat, quę vir
tus bona eorum opera ſemper antecedit, comita
tur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo gra
ta & meritoria eſſe poſſunt: nihil ipſis iuſtificatis
amplius deeſſe credendū eſt, quo minus plene, illis
quidem operibus quæ in Deo ſunt facta, diuinę le
gi, pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æter
nam ſuo etiā tempore (ſi tamen in gratia deceſſe
rint) cōſequendam verè promeruiſſe cenſeantur,
cū Chriſtus Saluator noſter dicat: Si quis biberit ex
aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in ęternū, ſed Ioan.4.

fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam ęternam:
ita neque propria noſtra iuſtitia tanquam ex no-
bis propria, ſtatuitur: neque ignoratur aut repu-
diatur iuſtitia Dei, quæ enim iuſtitia noſtra dici-
tur, quia per eam nobis inhærentem iuſtificamur
illa eadem Dei eſt, quia à Deo nobis infunditur
per Chriſti meritum. Neque verò illud omittendũ
Mar. 9. eſt, quòd licet bonis operibus in ſacris literis vſ-
& Mat. que adeò tribuatur, vt etiam qui vni ex minimis
10. ſuis potũ aquæ frigidæ dederit, promittat Chri-
2. cor. 4. ſtus eum non eſſe ſua mercede cariturum: & A-
poſtolus teſtetur, id quòd in præſenti eſt momen-
taneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modũ
in ſublimitate æternum gloriæ pondus operari
in nobis: abſit tamen vt Chriſtianus homo in ſei-
pſo vel confidat, vel glorietur, & non in Domi-
no: cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas,
vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.
Iaco. 3. Et quia in multis offendimus omnes, vnuſquiſq;
ſicut miſericordiam & bonitatem, ita ſeueritatẽ
& iudicium ante oculos habere debet: neque ſei-
pſum aliquis, etiam ſi nihil ſibi conſcius fuerit, iu-
dicare: quoniam omnis hominum vita non hu-
1. Cor. 4 mano iudicio examinãda & iudicãda eſt, ſed Dei,
qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & ma-
Mat. 16 nifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vni-
& Ro. 2 cuique à Deo qui (vt ſcriptum eſt) reddet vnicui-
que ſecundum opera ſua.

POST

POST hác catholicam de iuſtificatione doctrinam, quam niſi quiſque fideliter firmitérque receperit, iuſtificari non poterit, placuæ ſanctæ ſynodo hos canones ſubiungere, vt omnes ſciant nõ ſolùm quid tenere & ſequi, ſed etiam quid vitare & fugere debeant.

CANONES.

SI quis dixerit hominem ſuis operibus, quæ 1
vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, abſque diuina per Chriſtum Ieſum gratia poſſe iuſtificari coram Deo, Anathema ſit.

Si quis dixerit ad hoc ſolum diuinam gratiam 2
per Chriſtum Ieſum dari, vt facilius homo iuſtè viuere, ac vitam æternam promereri poſsit, quaſi per liberum arbitriũ ſine gratia, vtrunq;, ſed ægrè tamen & difficulter poſsit, Anathema ſit.

Si quis dixerit ſine præueniente Spiritusſancti 3
inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, Anathema ſit.

Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à 4
Deo modum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo, Deo excitanti atq; vocanti, quod ad obtinendam iuſtificationis gratiã ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire ſi velit, ſed velut in

animæ quoddam nihil omnino agere, meréque paſsiue ſe habere, Anathema ſit.

5 Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, imò titulum ſine re, figmentum denique à ſathana inuectum in eccleſiá, Anathema ſit.

6 Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita vt bona Deum operari, non permiſsiue ſolùm, ſed etiam proprie, & per ſe, adeò vt ſit eius proprium opus, non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, Anathema ſit.

7 Si quis dixerit opera omnia quę ante iuſtificationem fiunt quacunque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri: aut quanto vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiã, tanto eum grauius peccare, Anathema ſit.

8 Si quis dixerit gehennæ metum, per quam ad Dei miſericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel à peccãdo abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere, Anathema ſit.

9 Si quis dixerit ſola fide impium iuſtificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri quod ad iuſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe eũ ſuæ voluntatis motu præparari atque diſponi, Anathema ſit.

10 Si quis dixerit homines ſine Chriſti iuſtitia, per

quam

quam nobis meruit iuſtificari, aut per eam ipſam formaliter iuſtos eſſe, Anathema ſit.

Si quis iuſtificari hominẽ iuſtificari vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorũ remiſsione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per ſpiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam qua iuſtificamur, eſſe tantum fauorem Dei, Anathema ſit. 11

Si quis dixerit fidem iuſtificantem nihil aliud eſſe quàm fiduciam diuinæ miſericordiæ peccata remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe qua iuſtificamur, Anathema ſit. 12

Si quis dixerit omni homini ad remiſsionem peccatorum aſſequendam, neceſſarium eſſe vt credat certo & abſque vlla hæſitatione propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis peccata ſibi eſſe remiſſa, Anathema ſit. 13

Si quis dixerit hominem à peccatis abſolui, ac iuſtificari ex eo quòd ſe abſolui ac iuſtificari certo credat: aut neminem verè eſſe iuſtificatum, niſi qui credit ſe eſſe iuſtificatũ, & hac ſola fide abſolutionẽ & iuſtificationẽ perfici, Anathema ſit. 14

Si quis dixerit hominem renatum, & iuſtificatum, teneri ex fide ad credendum ſe certo eſſe in numero prædeſtinorum, Anathema ſit. 15

Si quis magnum illud vſque in finem perſeuerantię donũ ſe certo habiturũ abſoluta & infalli- 16

bili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali releua tione didicerit, Anathema ſit.

17 Si quis iuſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatius ad vitam cõtingere dixerit, reliquos verò omnes qui vocantur vocari quidem, ſed gratiam non accipere, vtpote diuina poteſtate prædeſtinatos ad malum, Anathema ſit.

18 Si quis dixerit Dei præcepta, homini etiam iuſtificato & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſeruãdum impoſsibilia, Anathema ſit.

19 Si quis dixerit nihil præceptum eſſe in euangelio præter fidẽ cætera eſſe indifferẽtia, neq; præcepta neq; prohibita, ſed libera: aut decem pręcepta nihil pertinere ad Chriſtianos, Anathema ſit.

20 Si quis hominem iuſtificatum & quãtumlibet perfectum dixerit nõ teneri ad obſeruantiã mandatorum Dei & eccleſiæ, ſed tantum ad credendum, quaſi verò euangelium ſit nuda & abſoluta promiſsio vitæ æternæ, ſiue conditione obſeruationis mandatorum, Anathema ſit.

21 Si quis dixerit Chriſtum Ieſum à Deo hominibus datum fuiſſe vt redẽptorem cui fidant, non etiam vt legiſlatorẽ cui obediant, Anathema ſit.

22 Si quis dixerit iuſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe, vel cum eo non poſſe, Anathema ſit.

23 Si quis hominem ſemel iuſtificatũ dixerit amplius peccare nõ poſſe, neque gratiam amittere,

atque

atque ideo eum qui labitur & peccat nunquam verè fuiſſe iuſtificatum: aut contrà, poſſe eum tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei priuilegio, quemadmodũ de beata virgine tenet eccleſia, Anathema ſit.

Si quis dixerit iuſtitiam acceptam non conſer 24
uari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, ſed opera ipſa fructus ſolummodo & ſigna eſſe iuſtificationis adeptæ, non etiam ipſius augendæ cauſam, Anathema ſit.

Si quis in quolibet bono opere iuſtũ ſaltem ve 25
nialiter peccare dixerit, aut (quod intolerabilius eſt) mortaliter, atq; ideo pœnas æternas mereri, tantúmq; ob id non dãnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, Anathema ſit.

Si quis dixerit iuſtos nõ debere pro bonis ope- 26
ribus quæ in Deo fuerint facta, expectare & ſperare æternam retributionem à Deo per eius miſericordiam & Ieſu Chriſti meritum ſi bene agendo, & diuina mandata cuſtodiendo vſque in finẽ perſeuerauerint, Anathema ſit.

Si quis dixerit nullum eſſe mortale peccatum 27
niſi infidelitatis, aut nullo alio quantumuis graui & enormi, præterquã infidelitatis, peccato ſemel acceptam gratiam amitti, Anathema ſit.

Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia, ſi- 28
mul & fidem ſemper amitti: aut fidem quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viua:

aut eum qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, Anathema ſit.

29 Si quis dixerit eum qui poſt baptiſmum lapſus eſt, nõ poſſe per Dei gratiam reſurgere: aut poſſe quidem, ſed ſola fide amiſſam iuſtitiam recuperare ſine ſacramento pœnitentiæ, prout ſancta Romana & vniuerſalis eccleſia à Chriſto domino & eius Apoſtolis edocta, hucuſque profeſſa eſt, ſeruauit & docuit, Anathema ſit.

30 Si quis poſt acceptam iuſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dilexerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendę, vel in hoc ſeculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cælorũ aditus patere poſsit, Anathema ſit.

31 Si quis dixerit iuſtificatũ peccare, cum intuitu æternæ mercedis bene operatur, Anathema ſit.

32 Si quis dixerit hominis iuſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, vt non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita: aut ipſum iuſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Ieſu Chriſti meritum (cuius viuum membrum eſt) fiunt, non verè mereri augmentum gratię vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ (ſi tamen in gratia diſceſſerit) conſecutioné, atque etiam gloriæ augmentum, Anathema ſit.

33 Si quis dixerit per hanc doctrinam catholicam de

de iuſtificatione à ſancta ſynodo hoc præſenti decreto expreſſam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Ieſu Chriſti domini noſtri derogari, & non potius veritatem fidei noſtræ, Dei deniq; ac Ieſu Chriſti gloriam illuſtrari, Anathema ſit.

DECRETVM DE SACRAMENTIS ECCLESIAE, ET DE RESIDENTIA ac reformandis in eccleſia moribus, factum in ſacroſancta œcumenica & generali Tridentina ſynodo, ſeptima ſeſsione, Die 3. Martij, 1547.

AD conſummationẽ ſalutaris de iuſtificatione doctrinæ (quæ in præcedẽti proxima ſeſsione vno omnium patrũ conſenſu promulgata fuit) conſentaneũ viſum eſt de ſanctiſsimis eccleſiæ ſacramentis agere: per quæ omnis vera iuſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur: propterea ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina ſynodus in Spiritu ſancto legitimè cõgregata, præſidentibus in ea eiſdẽ apoſtolicæ ſedis legatis, ad errores eliminandos, & extirpandas hæreſes, quæ circa ſanctiſsima ipſa ſacramenta hac noſtra tempeſtate, tum de damnatis olim à patribus noſtris

hæreſibus ſuſcitatæ, tum etiam de nouo adinuentæ ſunt: quæ catholicæ eccleſiæ puritati, & animarum ſaluti magnopere officiunt, ſanctarũ ſcripturarum doctrinæ, Apoſtolicis traditionibus, atque aliorum conciliorum & patrum conſenſui inhærendo, hos præſentes Canones ſtatuendos & decernendos cenſuit: reliquos qui ſuper ſunt, ad cœpti operis perfectionem, deinceps diuino Spiritu adiuuante æditura.

CANONES DE SACRAMENTIS IN GENERE.

1 SI quis dixerit ſacramenta nouæ legis nõ fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura vel pauciora quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè & propriè ſacramentum, Anathema ſit.

7. Sacramenta.

Si quis dixerit ipſa in nouæ legis ſacramenta à
2 ſacramentis antiquæ legis non differri, niſi quia cerimoniæ ſunt aliæ, & alij ritus externi, Anathema ſit.

3 Si quis dixerit hæc ſeptem ſacramenta ita eſſe inter ſe paria, vt nulla ratione aliud ſit alio dignius, Anathema ſit.

4 Si quis dixerit ſacramenta nouæ legis nõ eſſe ad ſa-

ad ſalutem neceſſaria,ſed ſuperflua,& ſine eis,aut
eorum voto per ſolam fidē homines à Deo gra-
tiam iuſtificationis adipiſci, licet omnia ſingulis
neceſſaria non ſint, Anathema ſit.

Si quis dixerit hæc ſacramenta propter ſolam 5
fidem nutriendam inſtituta fuiſſe, Anathema ſit.

Si quis dixerit ſacramenta nouæ legis non con
tinere gratiam quam ſignificant,aut gratiā ipſam
nō ponentibus obicem non conferre,quaſi ſigna
tantum externa ſint acceptæ per fidem gratię vel
iuſtitiæ,& notæ quædam Chriſtianæ perfectionis
quibus apud homines diſcernuntur fideles ab in-
fidelibus, Anathema ſit.

Si quis dixerit non dari gratiam per huiuſmodi 6
ſacramenta ſemper & omnibus, quantum eſt ex
parte Dei,etiam ſi riti ea ſuſcipiant,ſed aliquan-
do & aliquibus, Anathema ſit.

Si quis dixerit ipſa nouæ legis ſacramenta ope- 8
re operato non cōferre gratiam, ſed ſolum fidem
diuinæ promiſsionis ad gratiam conſequendam
ſufficere, Anathema ſit.

Si quis dixerit in tribus ſacramentis, Baptiſmo 9
ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi
characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam
ſpirituale& indelebile, vnde ea iterari nō poſſunt,
Anathema ſit.

Si quis dixerit Chriſtianos omnes in verbo & 10
omnibus ſacramentis adminiſtrandis habere po-

teſtatem, Anathema ſit.

11 Si quis dixerit in miniſtris, dũ ſacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intẽtionem, ſaltem faciendi, quod facit eccleſia, Anathema ſit.

12 Si quis dixerit miniſtrũ in peccato mortali exiſtentẽ, modo omnia eſſentialia quæ ad ſacramentum conficiendum aut conferendum pertinent ſeruauerit, non conficere aut conferre ſacramentum, Anathema ſit.

13 Si quis dixerit receptos & approbatos, & eccleſiæ catholicæ ritus in ſolenni ſacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque eccleſiarum paſtorem mutari poſſe, Anathema ſit.

DE BAPTISMO.

1 Si quis dixerit baptiſmum Ioãnis habuiſſe eãdem vim cũ baptiſmo Chriſti, Anathema ſit.

2 Si quis dixerit aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate baptiſmi, atque ideo verba illa domini Ieſu Chriſti, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, ad metraphoram aliquam detorſerit, Anathema ſit.

3 Si quis dixerit in eccleſia Romana, quæ omniũ eccleſiarũ mater eſt & magiſtra, non eſſe veram de baptiſmi ſacramento doctrinam, Anathema ſit.

Si quis

Si quis dixerit baptiſmum, qui etiam datur ab 4
hæreticis in nomine patris, & filij, & ſpiritu ſan-
cti, cum intentione faciēdi quod facit, eccleſia, nō
eſſe verum baptiſmum, Anathema ſit.

Si quis dixerit baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt 5
non neceſſarium ad ſalutem, Anathema ſit.

Si quis dixerit baptizatum non poſſe etiam ſi 6
velit gratiam amittere, quantumcunque peccet,
niſi nolit credere, Anathema ſit.

Si quis dixerit baptizatos per baptiſmū ipſum 7
ſolius tantùm fidei debitores fieri, nō autem vni-
uerſæ legis Chriſti ſeruandæ, Anathema ſit.

Si quis dixerit baptizatos liberos eſſe ab omni- 8
bus ſanctæ eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta vel
tradita ſunt, ita vt ea obſeruare nō teneantur, niſi
ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint, Anathe-
ma ſit.

Si quis dixerit ita reuocandos eſſe homines ad 9
baptiſmi ſuſcepti memoriam, vt vota omnia quæ
poſt baptiſmum fiunt, vt promiſsionis in ba-
ptiſmo ipſo iam facto, irrita eſſe intelligant, quaſi
per ea & fidei quā profeſsi ſunt detrahatur, & ipſi
baptiſmo, Anathema ſit.

Si quis dixerit peccata omnia quæ poſt baptiſ- 10
mum fiunt, ſola recordatione, & fidei ſuſcepti ba-
ptiſmi, vel dimitti vel venialia fieri, Anathema ſit.

Si quis dixerit verum & ritè collatum baptiſ- 11
mum iterandum eſſe illi, qui apud infideles fi-

dem Chriſti negauerit, cum ad pœnitentiam con uertitur, Anathema ſit.

12 Si quis dixerit neminem eſſe baptizandum niſi ea ætate qua Chriſtus baptizatus eſt, vel in ipſo mortis articulo, Anathema ſit.

13 Si quis dixerit paruulos, eò quòd actum creden di non habent, ſuſcepto baptiſmo inter fideles cō putandos non eſſe: ac propterea cum ad annos diſcretionis peruenerint, eſſe rebaptizandos: aut præſtare omitti eorum baptiſma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide eccle ſiæ, Anathema ſit.

14 Si quis dixerit huiuſmodi paruulos cum adole uerint interrogādos eſſe an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine dum baptizarentur polliciti ſunt, & vbi ſe nolle reſpuderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi vt ab Euchariſtiæ aliorumque ſacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant, Anathema ſit.

DE CONFIRMATIONE.

1 SI quis dixerit confirmationem baptizatorum ocioſam cerimoniam eſſe, & non potius verū & proprium ſacramentū, aut olim nihil aliud fuiſſe, quam catecheſim quandam, qua adoleſcentiæ proximi, fidei ſuæ rationem corā eccleſia exponebant

ponebant, Anathema ſit.

Si quis dixerit iniurios eſſe Spiritui ſancto eos 2
qui ſacro confirmationis chriſmati virtutem aliquam tribuunt, Anathema ſit.

Si quis dixerit ſanctę confirmationis ordinariũ 3
miniſtrum non eſſe ſolum epiſcopum, ſed quéuis ſimplicem ſacerdotem, Anathema ſit.

Eadem ſacroſancta ſynodus eiſdem præſidentibus & legatis in cœptum reſidentiæ & reformationis negociũ, ad Dei laudem & Chriſtianę religionis incremẽtum proſequi intendens, vt ſequitur, ſtatuendum cẽſuit: Salua ſemper in omnibus ſedis apoſtolicæ authoritate.

Ad cathedralium eccleſiarum regimen, nullus 1
niſi ex legitimo matrimonio natus, & ætate matura, grauitate morum, literarumq́ue ſciẽtia, iuxta conſtitutionem Alexandri III. quæ incipit, Cũ in cunctis, in concilio Lateranenſi promulgatam, Præditus aſſumatur.

Nemo quacunque etiam dignitate, gradu, & 2
præeminentia præfulgens, plures metropolitanas ſeu cathedrales eccleſias in titulum ſiue commẽdã, aut alio quouis nomine contra ſacrorum canonum inſtituta recipere, & ſimul retinere præſumat, cum valde felix ſit ille cenſendus, cui vnam eccleſiã bene ac fructuoſe, & cum animarum ſibi commiſſarũ ſalute regere contigerit. Qui autem plures eccleſias cõtra præſentis Decreti tenorem

nunc detinēt, vna quā maluerint retenta, reliquas infra ſex menſes (ſi ad liberā ſedis apoſtolicæ diſpoſitionem pertinerāt) alias infra annū dimittere teneantur. Alioquin eccleſiæ ipſæ, vltimo optenta duntaxat excepta, eo ipſo vacare cenſeantur.

3 Inferiora beneficia, pręſertim curam animarum habentia, perſonis dignis & habilibus, & quæ in loco reſidere ac per ſeipſos curam ipſam exercere valeant, iuxta conſtitutionem Alexandri III. Lateranenſis, quæ incipit, Quia nonnulli: & aliam Gregorij X. in generali Lugdunenſi concilio, quæ incipit, Licet canon, ad tam, conferantur: Aliter autē facta collatio, ſiue prouiſio, omnino, irritetur: & ordinarius collator pœnas conſtitutionis concili generali, quæ incipit, Graue nimis, ſe nouerit incurſurum.

4 Quicunque plura curata, aut alias incompatibilia beneficia eccleſiaſtica, ſiue per viam vnionis ad vitam ſeu commendę perpetuæ, aut aliò quocunque nomine & titulo, contra formam ſacrorum canonum & præſertim conſtitutionis Innocentij III. quæ incipit, De multa, recipere ac ſimul retinere præſumpſerit: beneficiis ipſis, iuxta ipſius conſtitutionis diſpoſitionem, ipſo iure etiā præſentis canonis vigore priuatus exiſtat.

5 Ordinarij locorum, quoſcunque plura curata, aut aliàs incōpatibilia beneficia eccleſiaſtica obtinentes, diſpenſationes ſuas exhibere diſtrictè compellant:

pellant:& aliàs procedant iuxta conſtitutionem Gregorij x.in generali Lugdunenſi concilio ædi-tam,quæ incipit,Ordinarij.Quã eadem ſacroſan-cta Synodus innouendam cenſet & innouat: Ad-dens inſuper,quòd ipſi ordinarij, etiam per ido-neorum vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum aſsignationem omnino pro-uideãt,vt animarum cura nullatenus negligatur: & beneficia ipſa debitis obſequiis minimè defrau dentur:appellationibus,&exemptionibus quibuſ-cunque,etiam cum iudicum ſpecialium deputa-tione,& illorum inhibitionibus,in præmiſsis ne-mini ſuffragantibus.

Vniones perpetuæ a XL.annis circa factæ,ex-aminari ab ordinariis tanquam à ſede Apoſtolica delegatis poſsint: & quæ per ſubreptioné vel ob-reptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur. Illæ verò quę à dicto tempore citra conceſſæ,nõ-dum in toto vel in parte ſortitæ ſunt effectum,& quæ deinceps ad cuiuſuis inſtantiam fient(niſi eas ex legitimis aut aliàs rationabilibus cauſis coram loci ordinario vocatis quorum intereſt, verifican dis factas fuiſſe conſtiterit)per ſubreptionem ob-tentę præſumantur:ac propterea,niſi aliter à ſede Apoſtolica declaratum fuerit,viribus omnino ca reant.

Beneficia eccleſiaſtica curata,quæ cathedrali-bus collegiatis ſeu aliis eccleſiis,vel monaſteriis,

beneficiis ſeu collegiis,aut piis locis quibuſcunq; perpetuo vnita,& annexa reperiuntur,ab ordinariis locorum annis ſingulis viſitentur:qui ſolicitè prouidere procurent,vt per idoneos vicarios perpetuos(niſi ipſis ordinariis pro bono eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur)ab eis cum tertiæ partis fructuum,aut maiori vel minori, arbitrio ipſorum ordinariorum, portione etiam ſuper certa re aſsignanda ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur, appellationibus,priuilegiis,exemptionibus,etiam cum iudicum deputatione,& illorum inhibitionibus quibuſcunque,in præmiſsis minimè ſuffragantibus.

8 Locorum ordinarij, eccleſias quaſcũque quomodolibet exemptas,authoritate apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur, & opportunis remediis prouidere,vt quæ reparatione indigent,reparentur:& cura animarum,ſi qua illis immineat, aliiſque debitis obſequiis minime defraudentur: Appellationibus priuilegiis,conſuetudinibus etiã ab immemorabili tempore præſcriptis, iudicum deputationibus,& illorum inhibitionibus, pœnitus excluſis.

9 Ad maiores eccleſias promoti, munus conſecrationis infra tempus à iure ſtatutum ſuſcipiãt, & prorogationes vltra ſex menſes conceſſæ,nulli ſuffragentur.

10 Non liceat capitulis eccleſiarum ſede vacante, infra

infra annum à die vacationis ordinandi licentiã, aut literas dimiſſorias ſeu reuerẽdas (vt aliqui vocant) tam ex iuris cõmunis diſpoſitione, q̃ etiam cuiuſuis priuilegij, aut cõſuetudinis vigore, alicui, qui beneficij eccleſiaſtici recepti ſiue recipiẽdi occaſione arctatus nõ fuerit, cõcedere: ſi ſecus fiat, capitulũ cõtraueniẽs, eccleſiaſtico ſubiaceat ĩterdicto: & ſic ordinati, ſi ĩ minorib⁹ ordinibus cõſtituti, nullo priuilegio clericali, pręſertim ĩ criminalib⁹, gaudeãt ĩ maiorib⁹ verò, ab executiõe ordinũ ad beneplacitũ futuri pręlati ſint ipſo iure ſuſpẽſi.

Facultates de promouendo à quocunque nõ ſuffragentur, niſi habentibus legitimã cauſam, ob quã à propriis epiſcopis ordinari nõ poſsint, in literis exprimendã: & tunc nõ ordinẽtur, niſi ab epiſcopo in ſua diœceſi reſidente, aut pro eo pontificalia exercente, & diligenti præuio examine. 11

Facultates de non promouendo, præterquam in caſibus à iure expreſsis cõceſſæ, ad annum tantum ſuffragentur. 12

Præſentati, ſeu electi vel nominati quibuſuis eccleſiaſticis perſonis, etiã ſedis apoſtolicæ nunciis, ad quæuis eccleſiaſtica beneficia nõ inſtituantur, nec cõfirmentur, neq; admittantur: etiã prætextu cuiuſuis priuilegij ſeu cõſuetudinis, etiã ab immemorabili tempore præſcriptæ, niſi fuerint prius à locorum ordinariis examinati, & idonei reperti, & nullus appellationis remedio ſe tuer- 13

poſsit, quominus examen ſubirę teneatur: pręſen tatis tantũ electis ſeu nominatis ab vniuerſitatibus ſeu collegiis generalium ſtudiorũ exceptis.

14 In exemptorũ cauſis cõſtitutio Innocẽtij IIII. quæ incipit, Volẽtes, in generali cõcilio Lugdunenſi edita ſeruetur: quàm eadẽ ſacroſancta ſynodus innouandã cenſuit, & innouat: Addendo inſuper, ꝙ in ciuilibus cauſis mercedem & miſerabilium perſonarũ clerici ſeculares aut regulares extra monaſteriũ degẽtes quomodolibet exempti, etiã ſi certum iudicem à ſede Apoſtolica deputatum in partibus habeãt. In aliis verò ſi ipſum iudicem nõ habuerint, coram locorũ ordinariis, tanq̃ in hoc ab ipſa ſede delegatis, conueniri, & iure medio ad ſoluendum debitum cogi & compelli poſsint: Priuilegiis, exemptionibus, Conſeruatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus aduerſus præmiſſa nequaquam valituris.

15 Curent ordinarij, vt hoſpitalia quæcunq; à ſuis adminiſtratoribus, quocunq; illi nomine cenſeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter & diligenter gubernentur: cõſtitutionis concilij Viẽnenſ. quæ incipit, Quia contingit, forma ſeruata. Quam quidem conſtitutionem eadem ſancta ſynodus innouandam duxit, & innouat, cum derogationibus in ea contentis.

16 Eadem ſacroſancta ſynodus, eiſdẽ præſidentibus & Apoſtolicę ſedis legatis, ad reſtituendã col-

lapſam

lapſam admodum eccleſiaſticā diſciplinam, depra uatóſque in clero & populo Chriſtiano mores emendandos ſe accingere volens: ab iis qui maioribus eccleſiis præſunt, initiū cenſuit eſſe ſumendum. Integritas enim prẹſidentiū, ſalus eſt ſubditorum. Cōfidens itaque per domini ac dei noſtri miſericordiā, prouidámq; ipſius Dei in terris vicarij ſolertiā, omnino futurum, vt eccleſiarū regimē (onus quippe angelicis humeris formidandū) qui maximè digni fuerint, quorumque prior vita ac omnis ætas à puerilibus exordiis vſq; ad perfectiones annos per diſciplinæ eccleſiaſticæ ſtipēdia laudabiliter acta teſtimoniū præbeat, ſecundum venerabiles beatorū Patrum ſanctiones aſſumantur omnes, patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis, & cathedralibus eccleſiis quibuſcūque, quouis nomine ac titulo prẹfectos monet, ac monitos eſſe vult, vt attēdētes ſibi, & vniuerſo gregi, in quo Spirituſſanctus poſuit eos regere eccleſiā Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo, vigilent: ſicut Apoſtolus præcipit: In omnibus laborent, & miniſterium ſuū impleant. Implere autem illud ſe nequaquā poſſe ſciant, ſi greges ſibi cōmiſſos mercenariorū more deſerant: atq; ouium ſuarū (quarum ſanguis de eorū manibus eſt à ſupremo iudice requirendus) cuſtodiæ minimè incumbāt: cum certiſſimū ſit, non admitti paſtoris excuſationē, ſi lupus oues comedit, & paſtor neſcit. Ac nihilo- 2. ad Ti. 4.

minus quia nõnulli (quod vehemẽter dolendum eſt) hoc tẽpore reperiuntur, qui propriæ etiã ſalutis immemores, terrenámq; cæleſtibus, ac diuinis humana præferentes, in diuerſis curis vagantur: aut negociorum temporalium ſolicitudine (ouili derelicto, atque ouium ſibi commiſſarum cura neglecta) ſe detinẽt occupatos. Placuit ſacroſanctæ ſynodo antiquos canones, qui tẽporum atq; hominum iniuria penè in deſuetudinem abierũt, aduerſus non reſidentes promulgatos innouare; quemadmodum virtute præſentis decreti innouat: ac vlterius pro firmiori eorũdem reſidentia, & reformandis in eccleſia moribus, in hũc qui ſequitur modum ſtatuere atque ſancire.

1 Si quis à patriarchali, primatiali, metropolitana ſeu cathedrali eccleſia ſibi quocunque titulo, cauſa, nomine ſeu iure commiſſa, quacunque ille dignitate, gradu, ac præeminentia præfulgeat (legitimo impedimento, ſeu iuſtis & rationabilibus cauſis ceſſantibus) & ſex menſibus continuis extra ſuã diœceſim morãdo abfuerit: quartæ partis fructuũ vnius anni fabricæ eccleſiæ, & pauperibus loci, per ſuperiorem eccleſiaſticum applicãdorum pœnã ipſo iure ĩcurrat. Quòd ſi per alios ſex mẽſes in huiuſmodi abſentia perſeuerauerit, aliam quartam partem fructuum ſimiliter applicandã eo ipſo amittat. Creſcente verò cõtumacia (vt ſeueriori ſacrorum canonum cẽſuræ ſubijciatur)

tur.)Metropolitanus ſuffraganeos epiſcopos abſentes, Metropolitanum verò abſentem ſuffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens, ſub pœna interdicti ingreſſus eccleſiæ, eo ipſo incurrenda, infra tres menſes per literas ſeu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur: qui in ipſos abſentes (prout cuiuſque maior aut minor contumacia exegerit) ſuæ ſupremæ ſedis authoritate animaduertere, & in eccleſiis ipſis de paſtoribus vtilioribus prouidere poterit, ſicut in domino nouerit ſalubriter expedire.

Epiſcopi inferiores quæuis beneficia eccleſiaſticæ perſonalem reſidentiam de iure ſeu conſuetudine exigentia, in titulum ſiue commendam obtinentes, ab eorum ordinariis (quemadmodum eis pro bono eccleſiarum regimine, & diuini cultus augmẽto, locorum & perſonarum qualitate penſata, expediens videbitur) opportunis iuris remediis reſidere cogantur: Nulliq́ue priuilegia ſeu indulta perpetua de non reſidendo, aut de fructibus in abſentia percipiendis ſuffragentur: Indulgẽtiis verò & diſpenſationibus temporalibus ex veris & rationabilibus cauſis tantum conceſsis, & coram ordinario legitimè probandis, in ſuo robore permanſuris. Quibus caſibus, nihilominus officium ſit Epiſcoporum tanquam in hac parte à ſede apoſtolica delegatorum prouidere, vt per deputationem idoneorum vicariorum & congruæ portio-

nis fructuum aſsignationem,cura animarum nullatenus negligatur,nemini quo ad hoc priuilegio ſeu exemptione quacunque ſuffragante.

Eccleſiarum prælati ad corrigendum ſubditorum exceſſus,prudenter ac diligenter intendãt,& nemo clericus ſecularis cuiuſuis perſonalis vel regularis extra monaſterium degent, etiam ſui ordinis priuilegij prætextus cenſeatur, quominus ſi deliquerit,ab ordinario loci,tanquam ſuper hoc à ſede apoſtolica delegato, ſecundum canonicas ſanctiones,viſitari,puniri,& corrigi valeat.

4 Capitula cathedralium & aliarum maiorum eccleſiarum,illorúmque perſonæ,nullis exemptionibus,conſuetudinibus,ſentẽtiis,iuramentis, concordiis(quæ tantum ſuos obligent authores, non etiam ſucceſſores)tueri ſe poſsit,quo minus à ſuis epiſcopis,&aliis maioribus prælatis,per ſeipſos ſolos,vel illis quibus ſibi videbitur adiunctis, iuxta canonicas ſanctiones,totiens,quotiens opus fuerit,viſitari,corrigi,& emendari, etiam authoritate apoſtolica poſsint,& valeant.

5 Nulli epiſcopo liceat cuiuſuis priuilegij prætextu,pontificalia in alterius diœceſi exercere,niſi de ordinarij loci expreſſà licentia,& in perſonas eidem ordinario ſubiectas tantum.Si ſecus factum fuerit,epiſcopus ab exercitio Pontificaliũ, & ſic ordinati ab executiõe ordinũ ſint ipſo iure ſuſpẽſi.

Hucuſque

Hucuſque progreſſum fuit in Cōcil. Tridētini, quod certis ita vrgentibus negotiis, Boloniam translatum eſt. Vbi & intermiſſum. Interim verò Paulus 3. fatis concedere iuſſus, ſucceſſorē habuit Iulium 3. cui prius nomen Ioannes Marius, cardinalis à Monte, epiſcopus Præneſtinus, vir cum morum grauitate & doctrinæ coniunctam habens præſtantiam & Chriſtianæ, pietatis affectum: qui nec immeritò ipſius cōcilij Tridentini negotiis præſidebat.

Iulius 3. papa. 229. Aretinus, imperante Carolo 5. in pōtificalem dignitatem anno 1549. die verò 8. menſis Februarij ſummo Cardinalium omnium ſuffragio aſſumptus eſt. Qui (Deo fauente) concil. Tridentinum ita inchoatum proſequuturus, ac (modo adſit pius principum Chriſtianorū fauor) abſoluturus eſt, in totius Reipub. Chriſtianæ vtilitatem, Amen.

FINIS.

PARISIIS APVD INCLYTAM PARISIORVM LVTETIAM, ANNO DOMINI M.D.L. VLTIMA NOVEMB.

Apud Galeotum à Prato.

Cum priuilegio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE